

De rebus

Heracleae Ponti

Libri VI.

Specimen primum.

Scripsit

H. L. P o l s b e r w, Philos. Dr.

B r a n d e n b u r g i,
(in officina J. J. Wiesikii impressum.

MDCCCXXXIII.

P r a e f a t i o.

Singularibus de antiquis Graeci nominis civitatibus commentariis, qui quantum vel per se habeant oblectationis et utilitatis, vix est cur moneam, unice pleniorum certiorumque Graecae historiae notitiam comparari posse, una omnium hodie eruditorum vox est; ut bonas maculasse chartas mihi viderer, si hac de re equidem verbosus esse vellem. Jam vero de Heraclea Ponti scripturus cum, quatenus hujus civitatis historia peculiari studio digna sit, non ferat animus multis ante rem praecinere; hoc tantum monere lubet, non forte fortuna me, postquam exemplo eorum, qui de aliis Graecorum civitatibus non pauci disputaverunt, excitatus simile aliquod argumentum tractare constituissim, caeco quasi gressu huc illuc vagatum ad Ponti tandem Heracleam esse dejectum. Verum enim vero cum semper e nulla fere antiquae historiae parte majorem cepi voluptatem, quam ex ea quae ad colonias Graecas pertineat, tum ad eas potissimum, quae Ponti Euxini littoribus ex antiquissimis inde temporibus decori atque ornamento erant, nec tamen satis mihi perspicue ex crassis tenebris, quibus tractus ille terrarum involutus est, erutae esse videbantur, cum singulari quadam delectatione oculos converti.

Quarum cum Heracleam eam esse putarem, cuius historia, quam late patuerint Graecorum instituta et mores, quamque in terris vel remotissimis ea sibi constiterint, egregie nos doceamur, adeo ut, — quamquam non eam Heracleotae unquam assecuti gravitatem sunt, ut ad ipsius Graeciae statum aut conformandum aut immutandum vim haberent, — tamen non mera solum rerum scientia, sed multum etiam ad universae Graecae antiquitatis indolem ingeniumque cognoscendum inde proficiatur: ad ea, quae de inclitae hujus civitatis rebus veteres scriptores rettulerunt, colligenda et disponenda me accinxi; atque in explanandis fatis Heracleae et institutis et commerciis et rebus similibus eo potissimum intendi, ut Graeca esse quae Heracleotica fuerunt appareat, indeque ipsam tractandi omnia rationem adornavi. Qua in re quod libellus J. Conr. Orellii: »Memnonis Historiarum Heracleae Ponti Excerpta servata a Photio.« Lips. 1816., in quo uno, quae multo sudore e sexcentis fontibus, parce plerisque fluentibus, hauseram, eorum bonam partem congestam inveni, non statim ab initio suscepti operis innotuerit, magnopere equidem dolerem, nisi suam cuique scriptori antiquorum auctorum perscrutationem multo quam alienam esse fertiliorem, persuasum haberem. Quodetsi rem me aggressum esse non omnino intactam viderem, tamen non abhorrebam, quod inceperem perficere. Nam continet ille Orellii libellus multifarios quidem veterum de Heraclea locos eosque summa certe cum industria congestos, at quos »arenam sine calce« dicere haud vereor, minimeque ea ratione consiliove pertractatos, ut continuam et perspicuam hujus civitatis historiam exhibeant. Novis igitur curis quae de rebus Heracleoticis vel apud recentiores, qui illum Asiae tractum perlustrarunt, monumenta comparari licebat, ea colligere collectaque ad continuam aliquam et quantum fieri posset plenissimam Heracleotarum historiam perscribendam conjungere constituerem. Quod licet et ob testium penuriam et ob virium tenuitatem frustra me consequi studuisse mox viderem, operae tamen pretium facturum esse pu-

tabam, si, quam ex his meis studiis rerum Heracleoticarum notitiam accepissem, eam tamquam illorum primitias quasdam et quasi libamenta viris eruditioribus dijudicandam demandarem.

Quorum quidem virorum, si mihi contigerit, ut quod nunc edo specimen primum, iudicio probatum videam, mox ceteras quoque opusculi partes foras dabo; quibus quae deinceps tractaturus sim, ut appareat, jam conspectum praemittam capitum omnium.

Lib. I. cap. 1. De Heracleotarum historiae fontibus.
cap. 2. De Heracleae primordiis.
cap. 3. De Mariandynorum servitute.

Lib. II. Heracleotarum historia.

cp. 1. Praemonentur nonnulla de Heracleotarum reipublicae forma, quae fuerit ante tyrannidem.

cp. 2. Heracleotarum historiae periodus prima, quae civitatis continet fata ante Clearchi tyrannidem.

cp. 3. Periodus altera, qua continetur historia tyrannorum Heracleae.

cp. 4. Periodus tertia, qua historia continetur civitatis post Lysimachi obitum liberatae usque ad urbem a Romanis captam.

cp. 5. Collocantur pauci quidam de Heracleae sub Romanorum, Byzantium, Turcarum imperio fortuna loci.

cp. 6. Nummi Heracleotarum.

Lib. III. De Heracleotarum urbe et agro.

cp. 1. De Mariandynorum origine et sedibus.

cp. 2. De Heracleotidis finibus, deque Heraclea urbe.

cp. 3. De Heracleotidis natura et fructibus, deque Heracleotarum mercatura, re navali, re bellica, sociis. —

Lib. IV. De Heracleotarum rebus sacris.

cp. 1. De Deorum cultu.

cp. 2. De fabulis quae apud Heracleotas vigeant. (De Argonautis, de Hercule, de Bormo Mariandynorum.)

- Lib. V. De Heracleotarum indole et ingenio.
 cp. 1. De Heracleotarum moribus.
 cp. 2. De Heracleotarum arte.
 cp. 3. De Heracleotarum doctrina.
- Lib. VI. De Heracleotarum coloniis.
 cp. 1. De Heraclea - Chersoneso. (De Artemide Taurica.)
 cp. 2. De Callatide.
-

Hac in capitum serie et ordine si cui displiceat, quod geographiam post historiam expositurus sim, eum moneo, id non tanti esse ad intelligendas res Heracleoticas momenti, quoniam, quae in historia ex geographia praecipuntur, paucula tantum sunt et quae facillime etiam sine accuratiore Heracleotidis delineatione intelligantur. Accedit quod, si vulgarem capitum ordinem et ipse retinuissem, permulta in geographia praecipere debuissim, quae non nisi ex continua ipsius historiae expositione satis aperta fiunt et perspicua. —

Rerum Heracleae Ponti

Liber primus.

De Heracleotarum historiae fontibus; de
Heracleae primordiis; de Mariandynorum
servitute.

Cap. I. De Heracleotarum historiae fontibus.

Res Heracleotarum singularibus libris qui exponendas sibi delegerunt scriptores graeci, eorum ex scriptis praeter Memnonis historiarum excerpta a Photio servata, pauca tantummodo fragmenta hodie extant; eoque graviorem fecimus jacturam, quod scriptores illi ex ipsa plerique Heraclea oriundi fuerunt; eorundem vero, quoniam L. V. de viris qui litterarum studiis apud Heracleotas claruerunt, singulari capite quaestionem instituemus, ne de iisdem rerum Heracleoticarum scriptoribus bis disserere cogamur, jam hoc loco quaecunque de vita scriptisque comperta habemus, paucis exponemus. Agmen ducat

Herodorus.

Ex pluribus hujus nominis scriptoribus ¹⁾ eum, de quo jam scripturus sum, Heraclea Pontica esse oriundum, e veterum scriptorum testimoniis accuratius inter sese collatis intelligitur. Siquidem Aristoteles et Athenaeus Heracleotam, Plutarchus et

¹⁾ V. Jonsius, Script. Hist. Phil. p. 141. Fabricius Bibl. Gr. L. II, 20. 9. Vol. I. pag. 703.

Tzetzes non semel cum Ponticum vocant¹⁾. De aetate autem, qua vixerit, magna usque virorum doctorum dissensio fuit. Post Vossium Jonsius l. c. Herodorum ante Lysaniam Cyrenaeum, Eratosthenis praeceptorem, quippe qui illum citaverit, vixisse statuit: Theophrasti aequalem fecerunt Groddeckius, Tiedemannus, Matthiaeus, Heerenius; Aristotelis Uckertus; ad Grammaticos denique sectae Alexandrinae Heynius rettulit²⁾, ejus qui vestigium, nescio annon suum judicium secuti, presserint atque etiamnunc premant, taedet hoc loco enumerare. Contra ea Weichertus³⁾ testimoniis veterum omnibus nova cura examinatis, Herodorum nostrum longe antiquiorum esse demonstravit. Quam quidem sententiam quibus vir doctissimus munivit rationibus, eas jamjam accuratiori subjiciamus examini.

Herodorus igitur duobus locis ab Aristotele itemque ab Antigono Carystio τοῦ Βρύσανος τοῦ σοφιστοῦ πατήρ nominatur⁴⁾, quem quidem nostrum esse Heracleotam, si quam Herodorus de vulturibus fabulam affert, cum iis quae Plutarchus l. c., illum secutus (v. Heeren l. c. p. 10 sq.) narrat, contenderis: non dubitabis Weichertol concedere. Jam vero ex eo, quod Aristoteles filium Brysonis laudat, nemo

¹⁾ Arist. de Gener. Animal. III, 6. Athen. IX. p. 474. f. — Plut. Romul. c. 19. — Tzetz. Chil. II, 36. 209; ad Lycophr. 662. 1322.

²⁾ Voss. Hist. Graec. p. 375. — Groddeck „Über die Argonautica des Apollonius“ in Biblioth. antiq. Litt. P. II, p. 76. — Tiedemann Princ. graec. Philos. p. 6. — Matth. Observ. in Hymn. Homer., p. 24. Heeren, de Font. Plutarchi, in Comment. Gotting. T. I. p. 16.; — Heyne, de Graec. orig. ibid. T. VIII. pag. 26. — Uckert. Geogr. Gr. et Rom. T. I. p. 109, II. 324.

³⁾ Über das Leben — des Apollonius v. Rhodus p. 155. 59.

⁴⁾ Arist. Hist. Animal. VI, 6. IX, 12. Antig. c. 48. p. 81 ed Beckm. Male apud utrumque oīum, sicut apud Plutarchum et Tzetzam II. cc. Ἡρόδοτος legebatur. V. Schneider ad Arist. Hist. An. III. p. 426. et Eeckmann l. c. p. 82. Adde Heynium, l. l., Weichert. p. 155. Bodium in „Orpheo, Poetar. Gr. antiquiss.“ et qui laudantur in Gruberi Encyclop. Univers. h. v., apud quos multa de Herodori nomine in simile aliud deflexo reperies.

non intelligit, patrem ipsum Herodorum aliquanto antiquiorem fuisse sapiente Stagirita. Quid? Apud Athenaeum, IV, 508. C. Theopompus Platonis dialogos tradit mendaces plerosque esse et compilatos ἐκ τῶν Ἀριστοππου διατριβῶν, ἐνίοις δὲ καὶ τῶν Ἀντισθένοῦς, πολλοὺς δὲ καὶ τῶν Βρύσωνος τοῦ Ἡρακλεώτου. Hinc Weichertus coniecit, Brysonem ante Platonem, Gorgiae fortasse aetate, floruisse, patrem vero Herodorum ante Herodotum, aequalem forsitan Hecataei Milesii, Pherecydis, Acusilai, quibuscum scilicet componatur apud Plutarchum (Vit. Thos. 26.) et Scholiastas Apollonii Rhodii ¹⁾, quosque circa Ol. 67. vel 78. vixisse constat. Sed ut omittam, Herodorum non nisi propter argumenti aequalitatem cum logographis illis componi putandum esse, vix ex eo quidquam definiri poterit, si Brysonem aequalem fecerimus Georgiae, qui quippe 105 vel 109 annos vixerit, per tres prope aetates inclitus ²⁾. Etenim vero disertum habemus Suidae ³⁾ testimonium, quo extra omnem dubitationis aleam ponitur, Brysonem Secratis discipulum fuisse, ideoque Platonis aequalem. Nec dubito in partes meas vocare quae Athenaeus IX, 509. C. ex Echippi Comici Naufrago affert, qua fabula cum ipsum Platonem, tum nonnullos ex ejus familiaribus interque eos Brysonem, nostrum haud dubie Heracleotam ⁴⁾ traduxit. Itaque nihil, credo, impedit, quominus Herodorum Herodoti aequalem faciamus vel paullo potius antiquio-

¹⁾ Ad Argon. Lib. I, v. 23. 46. 139. II, 1123, ubi etiam cum Hellenico componitur, ut apud Schol. Platon. Phaedr. T. II, p. 381. ed Bekk. p. 11. ed. Ruhnk.

²⁾ Σωκράτης φιλοσόφος εἰργάσατο Πλάτωνα — Ἀριστοππον, — Φαίδωνα, — Ἀντισθένη, — Εὐκλείδη, — Βρύσωνα Ἡρακλεώτην, ἐς τὴν ἐριστικὴν διαλεκτικὴν εἰσήγαγε μετ' Εὐκλείδου κ. τ. λ.

³⁾ De Brysone sophista latius et uberius alio nos infra loco disputabimus.

⁴⁾ Quo magis miror, quod Passowius, „Grundzüge der griech. und röm. Litter.“ p. 8. et 68. (ed. 1829) Herodorum tamquam poetam Cyclicum Solonis et Epimenidis aequalem fecit, Ol. 46, 3, quo tempore ipsius patria, Heraclea, nondum condita fuisse videtur.

rem, ut medium quasi locum teneat inter logographos et historiographos ¹⁾. —

Ad Herodori igitur Herecleotae Scripta quod pertinet, primum locum assignabimus de Herculis rebus operi, τὰ καθ' Ἡρακλέα in scripto, cujus operis, ut ceteros locos omittam, Athenaeus, IX, 410. F. librum laudat septimum decimum, quodque in hoc genere opus primum fuisse videtur, siquidem ab Aristotele, Nymphide, Apollonio Rhodio, Apollodoro, Plutarcho compilatum, a Scholiastis Pindari, Apollonii, Theocriti, ab Athenaeo, Tzetzis, Stephano, multis aliis qui de Hercule tradiderunt, innumeris locis laudatur. Qui etsi non quovis loco hoc ipsum opus diserte indicant, tamen dubitari non potest, quin quae afferant, ex eo potissimum hauserint. Et quod, quae Scholiasta Pindari ²⁾ de altibus Olympiae ab Hercule conditis Herodorum narasse tradit, ea auctor scholiorum Vratislav. Herodoro γραμματικῶ attribuit: pertinere id ad frequentes istas Herodori logographi et grammatici permutationes videtur ³⁾. Nec minus speciosa difficultas est, quam offerunt iidem Pindari Scholiastae ad Pyth. XI, v. 25. τὸν δὲ Ὀρέσην ἐκπλαπέντα εἶναι τριῶν ἐτῶν ὡς Ἡρόδωρος ἐν Πελοπέια, et ad Isthm. IV, v. 87. Ἡρόδωρος γούν ἐν Οἰδίποδι φησι τῶν ἄλλων αὐτῶν περιεττεύειν ὡς τὸ ὅλον σῶμα πηχῶν εἶναι τεσσάρων καὶ ποδῶν. Quibuscum si quae Apollodorus, II, 49. Herodori de Hercule libros secutus; et quae Tzetzis tum in Chil. II, 36. 210., tum ad Lycophronem v. 662. tradit, et quae Natalis Comes, VII, 1. p. 680. affert: haec, inquam, si inter sese contenderis, facile, puto, concedes, unum his locis eundemque Herodorum esse intelligendum. Atque in eo quoque Weichertō ad stipulor, quod neque conjectura de Herodoro aliquo poeta tragico ³⁾ neque emendatione

¹⁾ Ad Olymp. VI, v. 10. p. 120 ed. Boeckh.

²⁾ De Herodoro Grammatico, qui aequalis fuit Apionis Plistonitis, Homerumque recensuit et commentariis instruxit, cf. quos laudat Weichert. p. 162. Adde Lobeck Aglaoph. p. 268. 338. 357. 1310.

³⁾ Heyne, Observ. ad Apollodor. T. II, pag. 135. „Itane

Boeckhii ¹⁾ opus esse censet, sed totius quidem de Hercule operis titulum fuisse τὰ καθ' Ἡρακλέα ²⁾, quod autem saepissime in laudandis veterum libris inciderit, ut singulae eorum partes, peculiaribus a diverso argumento petitis nominibus insignitae, tamquam peculiaria opera citentur ³⁾, id eo facilius Herodori quoque libris accidisse contendit, quoniam Herodorus, pariter atque logographi et antiquiores historiarum scriptores non ea tantum, quae ad ipsum Herculem, verum etiam quae, ut ita dicam, ad rerum ab eo gestarum theatrum pertineant depinxisse atque librorum suorum eum, quo de Herculis rebus in Peloponneso gestis tradiderit, Πελόπειαν, alium, quo ejusdem apud Thebanos fata narraverit, Οιδίποδα inscripsisse putandus sit. Quae cum ita sint, non facile nos ad Heynii sententiam ⁴⁾ adduci patimur, qui apud Schol. Apollon. II, 815. pro Ἡρόδωρος ἰσορρεῖ ἐν ταῖς περὶ Ἡρακλείας, quod scilicet Vossius de urbe Heraclea accepisset, legendum censuit: ἐν

inter tragicos Herodorus fuit? Immo scriptor fuit pedestris, qui Herculis rebus forte alias fabulas Thebanas attexerat.”

¹⁾ Boeckhiius ad Schol. in Isthm. I. I. T. III, p. 356., cum quae illic leguntur, mirum sit, Herodorum in Oedipo, non in opere de Hercule exposuisse, cumque Herodori de Oedipo liber aliunde notus non sit, conjecit esse legendum Ἡρόδωρος γὰρ ἐν ὀγδόῳ φησίν. Ad alterum vero de Pelopea locum nihil nisi variam lect. Gott. attulit. — Mirifice placeret mihi quam probat Vogelius, (in libello de Hercule secundum Graecos poetas et histor. antiq. descripto, Halis 1830.) Otfr. Mülleri conjectura, ἐν Ὀλυμπιάδι legentis; si aequè probabilem in altero quoque de Pelopea loco medicinam praebuisset Vir Cl. —

²⁾ Cfr. praeter Athenaeum I. I., Stephanus Byz. v. Κυνηπιέν. Ἡρόδωρος δεκάτῳ τῶν καθ' Ἡρακλέα. et v. Ἰσθρίαὶ καθάπερ Ἡρόδωρος ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν καθ' Ἡρακλέα γέγραφεν ἰσορρία. —

³⁾ V. Meier Marx ad Ephori fragm. p. 25. Weichertus p. 161. Creuzer, Histor. Kunst der Griech. p. 32. — Küsterus Histor. Crit. Homeri p. 103. Jonsius, Script. Hist. Phil. L. I. c. 2. 11. 7.

⁴⁾ Ad Apollodor. T. II, 357. (III, 925.). Eandem sententiam sequuntur Weichertus p. 159. Groddeckius I. c. p. 73. Orellius, Memnonis Histor. Excerpt. p. 106.

ταῖς περὶ Ἡρακλείους, cum quippe Herodorus — adjicimus hoc, ne quis Viri eruditissimi auctoritate obcaecetur — neque Heracleota fuisset neque quidquam de rebus Heracleae Ponti scripsisset.

Procul dubio Vossius verum vidit, dummodo illud περὶ Ἡρακλείας scriptum, quo nihil nisi particula quaedam totius de Hercule operis continebatur, tamquam peculiare quoddam opus juxta totum collocasset. Ad rem nostram facere videntur, quae in Scholiis addantur: ὡς Προμηθίδας εἶπεν — et in Cod. Paris. — καὶ Νύμφης ὁμοίως ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας. —

Neque vero Vogelio, p. 62, adstipulari possum, qui — postquam demonstravit Herodori libros non fuisse Heracleam, h. e. carmen, quod in Herculis rebus praedicandis laudibusque celebrandis versatur, — ceteris locis ad Scholiastae illius normam correctis (ut legatur τὰ καθ' Ἡρακλείαν et τοῦ καθ' Ἡρακλείας λόγου) Herodorum non peculiari opere res Herculis exposuisse contendit, sed scripsisse libros de Heraclea urbe, in quibus, ut apud antiquiores historicos fere omnes, Herculis, (cujus multa facta ad urbem illam ejusque vicinitatem vel fama pertinebant, vel ab hoc ipso auctore trahebantur) aliarumque rerum frequens fuerit memoria. Nam ut de temeraria illa complurium locorum emendatione taceam, quid de locis ex scholiastis Pindari supra allatis, quid de prolixis illis Iberiae et Italiae regionum populorumque descriptionibus ¹⁾ operi de Heraclea urbe insertis cogitemus, quas certe in libris de Hercule, veluti in profectione ejus contra Geryonem describenda commodissime intexere poterat. — Sed priusquam nostram de hoc Herodori scripto disputationem ad umbelicum adducamus, pauca quaedam de ceteris ejusdem libris proferamus. Ac primum quidem laudatur ejus περὶ βίων τῶν Μακρῶνων, bellicosae in confiniis Cyzicenorum et Dolionum gentis, scriptum apud Schol. Apollon. ad Argon. I, 1024; ubi cum Polystephanō Cyrenaeo, Callimachi familiari, com-

¹⁾ Steph. Byz. vv. Κυνητικόν, Ἰβηρία, Γαῖτες, Πευκέτιον.

ponitur¹⁾. Sed de hoc scripto nescio an eodem redeat conjectura, quo de illo *περὶ Ἡρακλείας*, praesertim cum ne Polystephanus quidem, licet permulta ejus scripta laudentur, peculiare quoddam de Macronibus opusculum condidisse legatur. — Aliud prorsus et, ut videtur, fama minus nobilitatum Herodori opus est *Ἀργοναυτικῶν*, quod non semel a scholiastis Apollonii, sed omissa singulorum librorum significatione laudatur²⁾.

Ex Olympiodoro denique apud Photium, Cod. 80., Herodorus laudatur, ὁ τὴν Ὀρφείως καὶ Μουσαίου ἱστορίαν συγγράψας. Hunc librum Bodius, p. 27., Herodoro nostro logographo assignat, quem primum fuisse sibi persuasit, qui peculiare de rebus Orphicis scriptum ediderit; ex eoque desumpta commode videri posse arbitratur, quae affert Schol. Apoll. I, 23 et 31. *Ἡρόδωρος δύο φησὶ γεγονέναι Ὀρφεῖς* etc. — Contra ea Weichertus p. 164. et Lobeckius Aglaoph. p. 338. hunc librum Herodoro grammatico tribuunt; quorum in hac re silentium adeo mihi disertum est, ut, licet rationes non adjecerint, magis iis quam Bodio adstipuler. — Eundem vero librum ut vel ex titulo apparet, versibus non fuisse conscriptum, ita Herodorum quoque nostrum pedestrem fuisse scriptorem doctissime demonstravit Weichertus p. 164. sq. 3). Etenim afferuntur quidem in Apoll. Scholiis II, 1211, duo Herodori hexametri; sed eosdem cum Diodorus Siculus (II, 15; III, 65; IV, 2.) ex hymnis homericis laudet, in scholiis illis lacuna esse videtur, ipsique versus Nostro omnino derogandi. Accedit, quod reliquiarum Herodori et argumenta et verba ejusmodi sunt, quibus vix tibi persuadeas in carmine

¹⁾ Ὡς φησι Φιλοσέφανός τε καὶ Ἡρόδωρος οἱ τὰ περὶ τῶν βίων αὐτῶν γεγραφέτες. De Polystephano v. Meursius de Cypro I. c. 1. p. 3. Voss. Hist. Gr. I, c. 151. p. 84.

²⁾ Plerisque Schol. locis: ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς legitur; nihilo magis tamen ad libr. II, 901: III, 594. IV, 259, ubi ἐν τοῖς Ἀργοναυτικαῖς, emendatio admittenda esse videtur. V. Weichert. q. 158. 180. 181.

³⁾ Weicherto assentiuntur Heynius l. I., Ofr. Müllerus Dor. II, 464. Vogelius p. 61.

locum datum fuisse. — Quod superest: ex iisdem reliquiis intelligitur, Herodorum Herculis itinera resque ab eo gestas persequentem copiosissimum et accuratissimum fuisse in rebus geographicis et ethnographicis; id quod non nisi ex magna quadam et poetarum et logographorum, quos ante oculos habuerit, copia interpretari possumus. Atque in rebus Argonauticis poemata Dionysii Milesii, Eumeli Corinthii, Pherecydis; in rebus Herculis describendis praeter Pherecydem, Cinaethonis, Pisandri, Acusilai, Hecataei, Hellanici, aliorumque opera ¹⁾ in usum suum convertere Herodorus poterat. Sed, quantum ex multis locis apparet, in disponendis ac describendis fabulis propriam quandam secutus viam est, qua historicis, qui dicuntur, Mythographis jamjam propius accedens, antiquas fabulas non solum enarraret verum etiam examinaret, dijudicaret, nunquam vituperaret. Nihilo magis tamen Weichertii et Vogelii et Gaylii et aliorum sententiam probaverim, qui et Hecataeum et Herodorum pro historicis habeant, haud satis, ut facile intelligitur, idonea ratione ²⁾. Enimvero Herodorus, antiquior quidem historiographis et qui horum aetate jam sui met ipsi superstites fuerunt, poetis Cyclicis, illos in orationis genere, hos in argumentis deligendis sibi imitandos proposuisse et pedestre instar carminum Ἡρακλείας nomine inceptorum condidisse putandus est, quo cum ceteras, quae de Hercule circumferebantur, fabulas, tum eas praecipue, quae ad Heracleam urbem, ab ipso Hercule, ut credebatur, conditam, illustrandam idoneae essent, complecteretur. Siquidem logographi, quibus videlicet Herodorus, quamquam disertior fortasse et elegantior, proximus erat aetate, eo potissimum intendebant, ut antiquis, quae ad originem, ad sacra, majorumque gesta spectarent, monumentis exploratis, priscam patriae claritatem ab oblivione vindicarent et quantum possent maxime

¹⁾ V. Weichert. p. 175. sq. Vogel. p. 13. seq. —

²⁾ Creuzer. Hist. Kunst. der Gr. p. 86. n. 89. — Lobeck., Aglaoph. II. 787.

celebrarent; unde factum est, ut scripta eorum, non fabellarum tantum, sed bona fide etiam historiarum libri haberentur. (Creuzer. p. 205.) Herodorus autem cum sibi proposuisset, patriam suam quam maximo posset splendore circumfundere ideoque, quas apud cives suos pervulgatas invenit, fabulas praetermittere non posset, in enarrandis rebus ab Hercule gestis multa ex suo consilio omisit, multa mutavit, multa inseruit quae ab aliis aliter narrata essent; ut multifarie cum mythologiam immutasse putes¹⁾. Quaecumque autem de patriae historia sacris, religionibus, ceterisque institutis singulari quadam et historica et geographica digressionem exposuit, uno pluribusve universi de Hercule operis libris *περὶ Ἡρακλείδας* inscriptis complexus esse nobis videtur. Quod etsi non persuasum habemus, quod VV. DD. nonnulli Herodorum nostrum in rebus geographicis superiorem Hecataeo atque ipso Herodoto fuisse contendunt²⁾; tamen vel propterea, quod narrandarum rerum mythologicarum ratione medium quodammodo inter logographos et Ephorum gradum obtinet, sane quam maxime librorum ejus jacturam esse dolendam arbitramur. —

Ceterum de Apollonii Rhodii cum Herodoro in rebus Argonauticis et gestis Herculis enarrandis consensione vel controversia conferatur Weichertus; de Apollodoro Heynius; de Plutarcho Heerenius; de ceteris scriptoribus, scholiastis plerisque et lexicographis, videantur qui inde Herodori fragmenta collegerunt, Groddeckius et Ofr. Müllerus et Vogelius ll. cc. —

N y m p h i s.

Nymphis, Xenagorae filius, Heracleotes Ponti³⁾, qui, historicus verius quam, ut — si modo idem intelligitur — in Etym. M. v. *Γάργυρος* scribitur, phi-

¹⁾ Ofr. Müller, Prolegom. p. 106. Dor. T. II. p. 467. —

²⁾ Müller ib. p. 466. Uckert. Geogr. T. II. p. 245—251.

³⁾ Suidas v. *Νύμφης* et ex eo Eudocia Viol. p. 309. Cfr. Voss. Hist. Gr. L. I. c. 16. p. 103. 104.

losophus, claruit aetate Ptolemaei III. Euergetae, ad
 cujus usque regis tempora historiam suam perduxit,
 idem est quem Memnon c. 25. historicum dicit et He-
 racleotarum ad Gallos legationis principem facit (c.
 Ol. 130.), unde colligitur, eum inter conspicuos ci-
 vilitatis viros fuisse. Distinguendus ab hoc est Nym-
 phis quidam, nostro antiquior aliquanto et cognatione
 fortasse ei conjunctus: quem et ipsum auctoritate
 apud Heracleotas valuisse, ex Memnone, c. 12. apparet;
 quemque eundem procul dubio spectat Pseudo-Chion,
 Epist. 13. Clearcho tyranno consanguineum nuncu-
 pans sibi quae amicum. Nymphis autem historicus,
 quibus nominis sui memoriam consecravit, scripta
 haec sunt: 1) Περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τῶν διαδοχῶν καὶ
 ἐπιγόνων libri XXIV., teste Suida; quorum nonum
 laudat Aelianus, Hist. An. XVII. c. 3. ἐν τῷ θ' τῶν
 περὶ Πτολεμαίων λόγῳ κ. τ. λ.

2) Περὶ Ἡρακλείας libri XIII. Addit Suidas:
 ἔχει δὲ μέχρι τῆς καθαιρέσεως τῶν τυράννων τὰ μετὰ τοὺς
 Ἐπιγόνους, καὶ μέχρι τοῦ τρίτου Πτολεμαίου. Quae aut
 omnia ad prius illud de Alexandro ejusque successo-
 ribus opus referri debent, aut, id quod vero simi-
 lius mihi videtur, scripturae mendo laborant, quod,
 si iudicium meum interponere licet, ita tollendum
 esse censeo: Περὶ Ἡρακλείας βιβλία ιγ'. ἔχει δὲ μέχρι
 τῆς καθαιρέσεως τῶν τυράννων. τὰ δὲ μετὰ τοὺς Ἐπιγόνους
 μέχρι τοῦ τρίτου Πτολεμαίου 1). Ceterum de Heraclea
 opus, cujus quae exstant fragmenta collegit Orellius,
 in edit. Memnonis p. 95 — 104. 2) praeclarius illis de
 Alexandro libris fuisse, facile credes Viro docto
 Santo-Crucio 3). Majoris momenti sunt quae Wei-
 chertus

1) Heracleoticae tyrannidis per Lysimachum eversio facta
 Ol. 123, 1. = 288. a. C. est (v. infra L. II, c. 3); Ptole-
 maeus III. regnare coepit Ol. 133, 1. = 247. a. C.

2) Ex Schol. Apoll. Rh. II, 168. 650. 672. 729. 752. 780. 787.
 815. 854; IV, 247; ex Schol. ad Aristoph. Aves. v. 874;
 ex Steph. Byz. v. Φρίξος et Ἰπίος; ex Athenaeo XII. 549.
 XIV, 619; ex Plutarcho de Mulier. Virtut. v. Δουκίαι; et
 ex locis iis, quos supra commemoravimus.

3) Sainte-Croix Examen critique p. 55.

chertus p. 251. animadvertit: cum Apollonius Rh., quem Nymphidis de Heraclea libros in usum suum convertisse Scholiastes ejus hic illic discrete dicit, Argonautica sua, juvenili adhuc aetate, h. e. circa mediam partem posteriorem regni Ptolemaei II. composuerit (v. Weich. p. 35.) Heracleotam Rhodio antiquiorem fuisse, ejusque de Heraclea prius quam de Alexandro libros in vulgus exiisse putandos esse.

3) Περὶ πλοῦς Ἀσίας, quem unus laudat Athenaeus, XIII, 596. E. ac respiciunt fortasse Scholiastae Apollonii ad Arg. II, 168. et 672. (v. Weich. p. 253. 254.)

P r o m a t h i d a s.

Promathidas »Heracleotes« qui apud Athenaeum bis laudatur, idem haud dubie est, cujus libros περὶ Ἡρακλείας citant Scholiastae Apollonii ad Arg. I, 1126. »quando Heracliensem de Heraclea scripsisse est verisimile¹⁾«. De aetate ejus vix certi quidquam apud antiquos reperies. Ex Schol. Apoll. II, 815 περὶ τούτου — καὶ Ἡρόδωρος ἰσχυρεῖ ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας ὡς Προμηθίδας εἶπε καὶ Νύμφης ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας, et ex eo, quod Apollonii Musae materiam suppeditabat Heracleotes, apparet vixisse eum post Herodorum, ante Apollonium; nec tamen multum ante, id quod conjicias tum ex argumento librorum ejus de Heraclea, tum ex imitatione poetae Rhodii. Pauca ejus fragmenta quae ex Scholiis ad Apollonium²⁾ Orellius, p. 103, collegit, respiciunt, quantum ex argumentis videre licet, libros ejus de Heraclea, quos quot scripserit, ignoramus. Ex »Semijambis« Promathidae Heracleotae unum attulit Orellius ex Athen. VII, 296. B. Aliud ex eodem Athenaeo XI, 489. B. nos addimus, ubi Nestoridis poculi structura exponitur; ac tertium, sed geographicum illud quidem, ex Stephano Byz. v. Γάλλος. —

¹⁾ Voss. Hist. Gr. III. p. 408. Weich. p. 249.

²⁾ Ad Argon. I, 1126. II, 815. 845. 911. 929.

Domitius Callistratus ¹⁾.

Domitius Callistratus *περὶ Ἡρακλείας* scripsit aliquot libros, quorum secundus laudatur a Schol. Apoll. ad Arg. I, 1126., et, ut ex Schol. ad Aeschyl. Pers. v. 941. apparet, ab eodem ad Arg. II, 780; quartus a Stephano Byz. v. Ἀρκιόεσσα (ubi tamen Cod. Voss. *ἐν ζ' περὶ Ἡρακλείας* habet) et v. Μοκάτα; sextus v. Ὀδίουπολις, septimus v. Ὀλύμπη. Haec sunt quae Orellii industria collegit. Eisdem Callistrati nostri libros Weichertus, apud Suidam intelligendos esse censuit, v. Φιλόζενος, quem Dithyramborum artificem Heracleae Ponti natum esse, ille auctorem affert Callistratum. Addimus nos aliud Domitii fragmentum ex Steph. Byz. v. Ψίλιον ποταμός μεταξὺ Θυνίας καὶ Βιθυνίας Δάμτιος Καλλ. ἐν τρίτῳ περὶ Ἡρακλείας. πηγυριεύσαντος ἀπὸ τοῦ Σαγγαρίου χωρίου ἕως (sic lego pro εὗ) τοῦ Ψιλίου ποταμοῦ. Idem Callistratus nescio an intelligendus sit apud Steph. v. Γάφραι (locus ad Paludem Maeotidem) ὡς Καλλίστρατος ἐν τρίτῳ. Poterat in illam regionem digressionem facere in Chersoneso urbe, Heracleotarum colonia, describenda. Ceterum de Callistrati patria et aetate eodem, quo de Promathidae, redit conjectura.

M e m n o n.

Memnonem qui Viri docti recentiores commemorant, plerique omnes appellant Heracleotam. Sed Photius, qui unus memoriam ejus servavit, patriam silentio praetermisit. Nihilo tamen minus, cum, quis majore Heracleotarum historiae perscribendae studio incensus fuisse putandus sit, vix intelligatur, quam ipsorum Heracleotarum aliquis, non vereor equidem illorum VV. DD. sententiam subscribere. Majorem difficultatem habet de Memnonis aetate

¹⁾ Praenomine Domitius distinguitur noster a ceteris Callistratis, quorum catalogum Fabricius B. Gr. IV, c. 24. sistit, qui nostrum cum Callistrato grammatico, Aristophanis discipulo, confundit, Schol. ad Pind. Nem. VII, 156. laudans. v. Boeckh. Praef. in Pind. Schol. p. 13. et Weichert. p. 256. 257.

quaestio. Photius patriarcha, Cod. 224. ejus Historias Heraclaeae excerpsit a L. IX. usque ad L. XVI. 1), quibus libris tempora a Clearchi tyrannide ad Bri-thagorae. Heraclaeotarum missi ad Caesarem legati, mortem, h. c. ab Ol. 104, 1. = 364. a. C. usque ad annum 46. a. C. continentur. Octo libros priores et eos qui exceperunt sextum decimum ipse patriarcha confitetur non sibi contigisse videre. Fuerunt fortassis jam tum aut omnino deperditi aut adeo rari, ut Photius eos sibi comparare non posset. His ipsis autem libris verosimillimum est Memnonem historias Heraclaeotarum ad suam usque aetatem continuasse. Nam de institutis eorum publicis, de rebus sacris, de commerciis, et quae generis sunt ejusdem; cum ad recentiorum instar historicorum singulares libros ipsis historiis addidisse, vix cuiquam in mentem veniet statuere. Quo magis miror, quod Vossium, qui, quoniam Memnonis liber XVI. in J. Caesaris temporibus desinit, cum Augusti aevo assignavit, etiam recentiores quidam secuti 2), aequalem nostrum fecerunt Diodori, Dionysii, Nicolai Damasceni. Jam dudum Fabricius 3) observavit, quod Vossium in sententiam suam adduxerit, id minime rem conficere; Memnonem posse longe fuisse junio-rem. Orellius vero 4) ex ipso Memnonis orationis colore doctissime conjecit, eum vix ante Hadriani vel Antonini tempora scribere potuisse suam historiam. Cujus viri docti sententiam usque equidem sequar, dum alium rem melius enucleasse videro. — Memnonis autem quae Photius servavit Excerpta tanto majore sunt aestimatione dignanda, quod non

1) Ἀπὸ τοῦ θ' λόγου ἕως ις'. Sic Bekkerus. Perperam ἀπὸ τοῦ ε' λόγου Orellius. Vide finem Excerptorum; τὰς δὲ πρώτας ἢ ἱστορίας καὶ τὰς μετὰ ἑκτὴν καὶ δεκάτην οὕτω εἰπεῖν εἰς θεῶν ἡμῶν ἀφηγημένους ἔχομεν. Mannertus in „Geschichte der Nachf. Alex.” p. 375. legendum esse contendit et ἀπὸ τοῦ ε' λόγου, et τὰς πρώτας δ' ἱστορίας. —

2) Voss. Hist. Gr. II, p. 182. Passow, Grundriss, p. 37 et 96, Wichers, Theopompi Fragm. p. 231.

3) Biblioth. Gr. L. V. c. 85. T. X. p. 729. ed. Harl.

4) Praefat. in Memn. Edit. p. 4 sq.

Heracleae solum historiarum partem, sed aliorum quoque populorum res intextas continent, quibuscum Heracleotis aut bellum fuerat aut pacis foederisque condicio. Sic de regibus Bithynorum memoriae prodidit Memnon quae apud alios frustra quaeviseris; Mithridatis porro cum Romanis bellum aliquot libris narravit, digressionibus usus longioribus quam quis fortasse expectet; denique Romanorum quoque historiam intexuit ab antiquissimis inde temporibus ad eam usque aetatem persecutus, qua Heracleotae duces eorum in Asiam transgressos convenerunt.

Jam si de fide Memnonis quaeris, quae de bello Mithridatico tradidit, cum Plutarchi, Appiani, Dionis Cassii, aliorum qui de eodem bello scripserunt, narrationibus plerumque consentiunt; in historia autem Romanorum auctores parum probatos secutum fuisse nostrum, praeter alios VV. DD. monet Orellius ¹⁾, idque nos docere inter alia commentum illud (Cap. 27.) de corona aurea Alexandro M. dono missa a Romanis, cujus nemo alius meminerit. Non magnopere equidem hac de re repugno; at vero quod in rebus geographicis rudem plane et ignarum eum notant Holstenius, Wesselingius, Orellius ²⁾: eam notam propter vanam rem sibi contraxit, quod fere constanter Κίον et Κίερον oppida inter sese commutavit. In ceteris non video Memnonis ἀγεωγραφησία^ν reprehensam. Nam quod, cap. 31., de Marsis, Pelignis, Marrucinis legitur »in confiniis Gadium«, id non Memnonis sapientiam esse, sed ex scioli cujuspian omnino ἀγεωγραφήτου scholio in textum irripisse, jam dudum video a Viris doctis observatum. — Ceterum cum Memnonis quae exstant fragmentis solis ferme totam Heracleae a tyrannide usque ad urbem a Romanis expugnatam historiarum partem debeamus: in ea delineanda ille, in subsidium tamen vocatis et reliquis scriptoribus, pro fundo fuit atque ita quidem, ut non narrationem solum, sed ipsa etiam ejus verba, elegantem Rhodomanni interpre-

¹⁾ Praef. p. 7. V. Woltersdorf de Vita Mithrid. p. 2. 3. 12.

²⁾ Orellius, Praef. p. 7. Not. et. ad cap. 27. et 41. —

tationem latinam, si paucos locos excipias, secuti retinuerimus. —

Ad hos quos hucusque res Heracleae scripsisse vidimus Heracleotas adjungendus est

T i m a g e n e s (s. Timogenes) **M i l e s i u s**,

historicus et rhetor, quem Suidas dicit scripsisse *περὶ Ἡρακλείας τῆς ἐν Πόντῳ καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς λογίων ἀνδρῶν βίβλια ἓ, καὶ ἐπιστολάς*, cujus tamen nullus alius scriptorum veterum ne verbulo quidem mentionem fecit, cujusque aetas prorsus est incerta ¹⁾. —

Ceteros scriptores antiquos, qui tanquam in transgressu res Heracleotarum attigerunt, suo quemque expositio nostra loco commemorabit. Nunc ad recentiores VV. DD., qui unam alteramve rerum Heracleoticarum partem adumbrare susceperunt, transcamus percensendos.

Orellium, qui Memnonis historias magis quam res Heracleae illustrandas sibi proposuit, verbo hic commemorasse sufficiet. — **J. W. Stueckius** in editione Arriani Peripli Ponti Euxini, Genev. 1577., crasso commentario onerata, p. 137. sq., data occasione de Heraclea ejusque coloniis multa quidem, ad Geographiam potissimum pertinentia, attulit, sed nullo discrimine veluti sacco fundens. — **Vindignius** in *Hellene* p. 424. (*Thesaur. Gronov. Vol. IX.*) quae de Heraclea conscripsit, exigui sunt pretii, nec majoris quae **Reineccius**, *Hist. Jul. Part. II.* p. 330. sq. et **Auctores Hist. Univers.**, ed. **Germ. Baumgarten.** T. VIII. §. 624, p. 502. sq. congesserunt, quaeque **Buonarrotius** in: *Osservazioni istoriche supra alcuni Medaglioni antichi*, Rom. 1698., p. 275. sq. ad numisma quoddam Heracleotarum, sub **M. A. Gordiano Imp. cusum**, illustrandum contulit. Eum non neglexerunt **Spanhemius**, de *Usu et Praest. Num.* T. I. p. 494. sq. et **Eckhelius**, *Doctr. Num.* Vol., v. II. p. 416. sq. — **Gedoyneus** porro interpretatoni suae Memnonis Gallicae, insertae Tomo XIV.

¹⁾ Vide **Voss.** *Hist. Gr.* p. 151. —

Comment. Acad. Inscript. Paris., p. 315. sq., annotationes quasdam subiecit, sed jejunas plerasque et parvi admodum pretii; quin ne Memnonem quidem e textu graeco, sed ex latina interpretatione convertit, id quod Raoul-Rochettius in: *Histoire critique de l'établissement des colonies grecques* T. IV. 223. observavit. Ipse autem RR. de primordiis tantum Heracleae ejusque coloniarum disputavit T. III. p. 204. sq., 301. sq. et in *Emendandis* T. IV, p. 406. Rambachius, *De Mileto ejusque coloniis, Heracleam quam in Milesiarum coloniarum numero recenset, paucis absolvit.* Mannertus, V. Cl., in: *Geogr. der Griech. u. Röm.*, T. IV. P. III. p. 608. sq., *descriptis Heracleae situ agroque, historiae capita potiora adjunxit, Memnonem secutus.* — In exponendis Heracleotarum statu reipublicae et rebus sacris imprimis adjutus sum doctrina Otfri. Mülleri, V. Cl., »*Gesch. hell. Stämme u. Städte*«, T. I. (Orchomenos), T. II et III. (Dorier) et »*Prolegomena zu einer wissenschaftl. Mythologie*«, cui tantum debeo quantum, qui de his rebus scripserunt, eruditorum nemini. — Ceteri VV. DD., quorum de rebus Heracl. observationes hic illic dispersas in rem nostram convertimus, in ipsa nostra expositione postea prodibunt.

In describenda Heracleae condicione hodierna secutus sum: 1) Tournefortium, »*Voyage du Levant*, Lyon. 1717. T. III. p. 23. 2) Amadeum Jaubertum, *Voyage en Arménie et en Perse, fait dans les années 1805 et 1806.* Paris. 1821., p. 403. 3) Leakium, *Journal of a tour in Asia minor.* London. 1824. 4) Beauchampium, *Relation histor. et géogr. d'un voyage de Constantinople à Trébizonde par mer, l'an 5. de la republ.*, in »*Mémoires sur l'Égypte*« T. II. p. 109 — 179. —

Numismatum Heracleae, quae cum ex florenti tum ex posteriori civitatis aevo haud pauca ad nos pervenerunt, quaeque ad res quidem sacras illustrandas valent aliquantum, ad chronologiam vero nihil aut non fere multum, descriptiones suo loco ex Spanhémii, Eckhelii, Raschii, Mionneti libris collegi atque disposui. — Inscriptiones denique

admodum raræ adhuc innotuerunt. Unam Tournefortius descripsit, sed vix dignam illam quidem quæ commemoretur. Plures Beauchanipius se invenisse ait, quæ num editæ sint nescio. —

Cap. II. De Heracleæ primordiis.

De Heracleæ origine magna et inter antiquos scriptores et inter recentiores controversia est: alii Milesios, alii Megarenses, alii Boeotos, alii Megarenses cum Boeotis hanc coloniam in Pontum deduxisse tradunt; alii denique ipsum Herculem conditorem faciunt. Qua de re quid statuendum sit, utrum uni alterive erraverint, an omnes verum scripserint, id quo facilius intelligatur, rem de integro ad disputationem revocaturus primum brevi in conspectu ponam varia veterum testimonia. Etenim »juvat integros accedere fontes atque haurire.«

Xenophon, Anab. VI., init. ἀφίκοντο εἰς Ἡράκλειαν πόλιν Ἑλληνίδα, Μεγαρέων ἀποικον, οὔσαν δ' ἐν τῇ Μαρνανδυνῶν χώρα. Eadem Xenophon ille minor habet

Arrianus, in Peripl. P. E. p. 14. ed. Huds. ἀπὸ δὲ Λύκου εἰς Ἡράκλειαν πόλιν Ἑλληνίδα Δωρικὴν, Μεγαρέων ἀποικον, ἑτάδιοι εἴκοσι. —

Diodorus Sic. XIV., c. 32. p. 413. qui et ipse Xenophontis Anabasin antè oculos habet: Ἡράκλεια Μεγαρέων ἀποικος, περὶ ἣν Ἀχερουσία χερρὸν ἴσσης. — Haec tria testimonia, quæ praeter alia Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 787. affert, pro uno tantum habenda esse, nemo non videt. Eodem redeunt quæ dicit Scholiastes Apollonii ad Arg. II., 843. περὶ ταύτην δὲ τὴν κώτινον ἐκτίσαν οἱ Μεγαρεῖς τὴν Ἡράκλειαν. —

Ephorus autem in Schol. Apoll. II., 845., cuius poetae verba haec sunt:

Τόνδε (Ἰδμονα) πολισσοῦχον διεπέφραδε Βοιωτοῖσι
Νισαίοισι τε Φοῖβος ἐπιρήδην ἰλάσθαι

Ἀμφὶ δὲ τήνγε φάλαγγα παλαιγενέος κωτίνοιο
Ἄσυ βαλεῖν. —

Megarensibus addit Boeotos: ὅτι δὲ Βοιωτοὶ καὶ Μεγαρεῖς ἔκτισαν τὴν ἐν Πόντῳ Ἡρακλείαν, καὶ Ἐφφορος ἐν πέμπτῳ καὶ ἄλλοι ἰσοροῦσιν. Ad quem locum addimus Schol. ad v. 848. et ad v. 746: αἱ εἰς τὴν Ἡρακλείαν κατοικήσαντες Μεγαρεῖς, ὅτε εἰς τὴν ἀποικίαν ἔπλεον, χειμασθέντες εἰς τὸν Ἀχέροντα ποταμὸν κατέφυγον. Ὄθεν καὶ διασωθέντες οἱ ναῦται Σωναύτην ἐκάλεσαν αὐτόν. Οὗτοι δὲ οἱ Ἡρακλεῦται Μεγαρέων· εἰσὶν ἀποικοὶ καὶ Βοιωτῶν, κατοικοῦσι δὲ ἐν τῇ Μαρνανδυνῶν χώρᾳ.

Scymnus Chius, Perieg. fragm. v. 230. ed. Huds. T. II. p. 56., ex Ephoro puto ¹⁾, haec habet:

— — Ἡρακλεία Βοιωτῶν κτίσις
καὶ Μεγαρέων. ἐντὸς δὲ ταύτην Κυανέων
κτίζουσιν ἱρμηθέντες ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος
καθ' οὗς χρόνους ἐκράτησε Κῦρος Μηδίας.

Pausanias, V. c. 26. Ἡ δὲ Ἡρακλεία πεπόλισαι μὲν ἐπὶ Εὐξείνῳ Πόντῳ, ἀπώκισθη δὲ ἐκ Μεγάρων, καὶ Ταναγραῖοι δὲ μετέσχον τοῦ οἰκισμοῦ.

Stephanus Byz. Πάνελος ἀρσενικῶς, πόλις περὶ τὸν Πόντον. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τινος τῶν Ἡρακλεωτῶν, ὃς ἀφίκετο ἐκ Βοιωτίας, ἀπόγονος ἂν Πηνέλεω τῷ στρατηγῶσιν ἐπὶ Τροίαν.

Suidas: Ἡρακλείδης Εὐφρονος (lege Εὐθύφρονος, e Diogene Laert.) φιλόσοφος, Ἡρακλείας τῆς ἐν Πόντῳ, τὸ γένος ἄνωθεν ἀπὸ Δάμιδος ἐνὸς τῶν ἡγησαμένων τῆς εἰς Ἡρακλείαν ἐκ Θηβῶν ἀποικίας, Πλάτωνος γινώριμος κτλ.

Justinus, XVI, 3: »Urbis Heracleae et initia et exitus mirabiles fuere, quippe Boeotis pestilentia laborantibus oraculum Delphis responderat: coloniam in Ponti regione sacram Herculi conderent. Cum, propter metum longae ac periculosae navigationis, mortem in patria omnibus praeoptantibus, res omissa esset, bellum iis Phocenses intulerunt; quorum cum adversa proelia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt. Responsum: idem belli quod pestilentiae remedium fore. Igitur conscripta coloniarum manu in Pontum delati, urbem Heracleam con-

¹⁾ Cujus auctoritatem multis aliis ipse laudat locis: V. 115. 470. 471. 545. Perieg.; et v. 103, 130, Fragm. — Conf. Dodwell. de Scymno. p. 101. T. II. ed Huds.

diderunt, et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, brevi tempore magnas opes paravere ¹⁾.»

Ex his omnibus apparet, id quod permultis aliis argumentis comprobari potest, Heracleam coloniam esse Megarensium atque Bocotorum. Nihilo tamen minus apud recentiores nonnullos, Milesiorum fuisse, scriptum lego ²⁾. Sed quidquid de Milesiorum colonia compertum habemus, ex uno Strabone XII. c. 3. p. 373 §. 816. haustum est, quem locum excerpit Eustathius l. c. quemque nos, quoniam saepius respicere debemus, integrum semel hic apponemus: Τους δὲ Μαριανδυνούς καὶ τοὺς Καύκωνας οὐχ ὁμοίως ἀπαντες λέγουσι. τὴν γὰρ δὴ Ἡράκλειαν ἐν τοῖς Μαριανδυνοῖς ἰδρῦσθαι φασί, Μιλησίων κτίσμα· τίνες δὲ καὶ πόθεν, οὐδὲν εἴρηται, οὐδὲ διάλεκτος, οὐδ' ἄλλη διαφορά ἐθνικὴ περὶ τοὺς ἀνθρώπους φαίνεται· παραπλήσιοι δ' εἰσὶ τοῖς Βιβυνοῖς. εἴκειν οὖν καὶ τοῦτο Θράκιον ὑπάρχει τὸ φύλον. Θεόπομπος δὲ Μαριανδυνόν φησι μέρους τῆς Παφλαγονίας ἀρξάντα ὑπὸ πολλῶν δυναστευομένης, ἐπελήθοντα τὴν τῶν Βεβρυκίων κατασχεῖν. ἦν δ' ἐξέλιπεν, ἐπώρυμον ἑαυτοῦ καταλιπεῖν. Εἴρηται δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι πρῶτοι τὴν Ἡράκλειαν κτίσαντες Μιλήσιοι τοὺς Μαριανδυνούς εἰλωτεύειν ἠνάγκασαν κτλ.

Quem locum admirabile dictu est quam perverse interpretatus sit P. Fr. Kanngiesserus (Grundriss der Alterth. p. 165 sq.) qui ut dubitationem suam de multitudine Milesiorum in Ponto coloniarum, quas scilicet Seneca (Consol. ad Helv. 6.) sexaginta quinque, Plinius (H. N. V, 29.) octoginta, Heerenius vero (Ideen II, 138. Handb. p. 101.) non minus trecentas fuisse dicat, confirmet: »hoc per se, inquit, incredibile est; nam statim Heracleam, Stra-

¹⁾ De hac Justini tam copiosa digressione v. quae monerimus L. II. c. 3. init.

²⁾ Sic, ut de antiquatis quibusdam libris taceam, Rambachius, de Mileto p. 45. Hüllmannus, Staatsrecht des Alterth. p. 33. — Kortumius vero, (Zur Gesch. hellen. Staatsverf. p. 144. 206.) primum quidem a Megarensibus et Tanagraeis, ad extremum vero a Milesiis usque hominum numero longe praepollentibus Heracleam frequentatam statuit. Tittmannus denique, (Darstellung der griech. Staatsverf. p. 464.) in alia omnia tradit.

ho conqueritur, Milesiorum quidem coloniam dici, sed hi (nimirum Milesii!) qui fuerint aut unde venerint, nusquam esse traditum; historicis autem testimoniis confici potest Heracleam, Sinopen, alias illius tractus urbes multo prius conditas fuisse quam ipsam Joniae Miletum.

Ad quam sententiam stabiliendam non dubitat V. D. Orphei Argonautica et quae sunt notae ejusdem tamquam testimonia fide digna proferre. Sed operae pretium vix est, de hac hominis interpretatione plura verba facere, cujus in hoc genere somnia jam ab aliis video refutata. Ut vero in consideratum est, omnes ceterorum scriptorum locos unius Strabonis testimonio posthabere aut ne verbulo quidem commemorare, ita plane temerarium est, Strabonis verbis sine mora correctis, repugnantiae nodum tamquam gladio dissecare.

Palmerius autem, quoniam apud ceteros scriptores de Milesiis in Heraclea colonis *οὐδὲ γὰρ* reperitur; »in tanto, inquit, antiquorum consensu quis dubitabit debere in hoc Strabonis loco pro *Μιλησίων, Μεγαρέων* legi? Certe si Strabo ita scripsit, memoria sua cum fefellit et in animo cum Heracleam haberet, de Sinope calamo properante scripsit, quae in eodem maris tractu Milesiorum erat *πίσιμα*. Sed actum ago; nam postquam haec scripsi, adii notas Casauboni, qui fere haec omnia notavit; illi reddatur sua gloria, mihi sufficiatur cum tali viro sentire.» At contra istam gloriolam, ipsius Casauboni nomine nos quidem deprecamur. Nihil enim usquam ille de emendando Strabonis loco dixit.

Palmerii tamen conjecturam cum ab aliis non paucis ¹⁾, tum ab auctoribus Interpretationis Strabonis Francogallicae probatam esse video, qui Geographi dissensionem aut ipsius aberrationi, aut la-

¹⁾ Novissime, quod sciam, a Wichersio ad Theopomp. p. 231., qui *Μεγαρέων* legendum esse satis contendit nunc quidem constare, atque insuper hoc ipso loco Strabonem Theopompi vestigia pressisse, inde probabiliter sibi conjicere videtur, quod statim post in eadem historia testem eum nominatum laudaverit. —

psui librarii, aut errori jam in ipso unde Strabo hauserit fonte haerenti tribuendam arbitrantur; hunc autem fontem Theopompi fuisse libros. Nempe nova temeritate contra librorum auctoritatem pro εἴρηται καὶ legitur εἴρηκε δὲ καὶ, quam lectionem ne Corraius quidem abstinuit recipere.

Tametsi vero istam emendationem rejiciendam esse censemus, tamen quae solus de Milesiis Heracleae conditoribus dicit Geographus, prima certe specie suspecta esse videri, liberaliter confitemur. Sed locus obscurus potius quam corruptus interpretationem non correctionem desiderat. Atque Ofr. Müllerus quidem (l. c. I, 291.) quasi viam describit, qua Strabo ad peculiarem suam sententiam pervenire potuerit. Namque eo tempore, quo Milesii praeter ceteris Graecis Pontum navigabant, exstare vestigia magni cujusdam omnium Graecarum in Ponto coloniarum foederis, illorum potissimum opera et auctoritate percussi; unde factum esse, ut Mileti nomen tamquam metropolis communis ab omnibus fere acciperetur atque agnosceretur ¹⁾. Neque aliter posse explicari, quomodo complures illarum Ponti civitatum, quarum originem plane diversam esse pervulgatum semper fuerit, nihilo tamen secius Milesiorum coloniae appellari potuerint: qua quidem in re eos certe falli, qui ubique Milesios ἐποίκους videre sibi videantur. Veluti Byzantium, licet Megarensium colonia fuerit, tamen Milesiam vocari; Heracleam Ponti, procul dubio a Megarensibus, Tanagraeis, aliisque Boeotis deductam, nihilo tamen minus a Strabone Milesiis tribui. —

Quam quidem sententiam ²⁾, licet ingeniosissima sit, tamen dubito hoc loco amplecti. Etenim ut

¹⁾ Ammianus Marc. 22, 8. colonias Graecas ad Pontum, paucis exceptis, Milesiorum fuisse tradit.

²⁾ Quae ne ipsi quidem auctori aperta et certa fuisse videtur, nam postea in Prolegom. p. 172. quidem Heracleam teste Scymno conditam esse c. Ol. 55. scribit, p. 173. autem dicit: „wenn Heraclea wirklich nicht älter ist.“ Cautius aliquanto Lobeckius, Aglaoph p. 1166., Heracleam Megarensium coloniam, Mileti, ut Strabo refert, auspiciis conditam esse, observat. —

faceam, quantam illa in Geographum nostrum festinantiam conferat, adduci equidem non possum, ut Strabonem priorum scriptorum testimonia fugisse putem. Strabo certe, ut hoc uno exemplo utar, L. VI. p. 260. pariter atque Scymnus Chius, Perieg. v. 313, in iis quae de Zafeuco tradit Ephorum ante oculos habuit, ea vero quae de Heraclea et Ephorus et Scymnus uno ore dicunt, Nostrum neglexisse arbitremur? Immo, non sine idonea cum ratione scripsisse opinor, quae scripsit. Miror non respexisse Viros doctos, Strabonem de primis Heracleae conditoribus dicere (ὅτι πρῶτοι τὴν Ἡράκλειαν κτίσαντες Μιλήσιοι κτλ.). Miror sane, quum toto illo loco id tantummodo agat Geographus, ut antiquissimae circum Heracleam gentium historiae lucem afferat, qua in disputatione Heracleotarum nonnisi primam originem spectavit ¹⁾. Nulla certe causa videtur intercedere, quominus conjiciamus, multo ante Megarensium et Bocotorum adventum Milesios opportuna loci natura ad navigationem mercaturamque stabiliendam atque amplificandam usos, si non urbem multis colonis frequentatam, at domos tamen mercatorias fundasse secundarias, ex quibus, admissis postea Megarensibus et Boeotis, Heraclea nostra exorta est. — Ac profecto si statuamus, Milesiorum colonias maximam partem ex parvis ejusmodi emporiis castellisque in temporis decursu vel ab ipsis Milesiis vel ab aliis Graecis frequentatis et amplificatis existitisse, tum dubitationes, credo, de admirabili illarum coloniarum multitudine coincident. At hoc posito atque concesso, Strabonem cum de Milesiorum Heraclea dicat, nihil aliud nisi emporium quoddam exiguum et secundarium indicasse, alia videtur restare difficultas, quod scilicet Geographus eosdem illos Milesios, quos augustum tantummodo emporium condidisse suspicamur, etiam Mariandynos, gentem haud ita invalidam, sub imperium dicionemque suam subjunxisse

¹⁾ Haec dudum scripseram, cum, ubi non quaesivi, in Welckeri V. Cl. Prolegomenis in Theogn. Reliq. p. XVIII, 11. 14. eandem de colonis Milesiis Megarenses antecedentibus sententiam ex ipsis Strabonis verbis enucleatam inveni.

tradit. Sed de his infra accuratius disputabimus; nunc id tantum observatum velim, Strabonem de hac re non suam, sed aliorum sententiam proferre, ipsorum Milesiorum suspicor, quos, ut Pontum se Graecis tamquam aperuisse vastasque ejus regiones celeberrimis coloniis frequentasse, innumerabilibus oppidorum, portuum, templorum aedificiis excoluisse, vera certe cum gloria praedicare potuerunt: ita non Heraclaeae solum prima fundamenta, verum cum ostentatione quadam speciosa ipsorum etiam Mariandynorum oppressionem in laudem suam convertisse arbitror. Quo id quoque facit, ni fallor, quod inter eos, qui de Heraclaeae scripserunt, etiam Milesium vidimus, Timagenem. Neque id quidem praetermitti debet, quod in nummis Heraclaeotarum vestigia quaedam obstant dialecti Jonicae; qua re pariter atque aliis nonnullis argumentis, quae infra in expositione nostra prodibunt, satis conficitur, Milesios una cum Megarensibus et Boeotis Heraclaeam incoluisse: sed quod Kortumius l. c. contendit, post Megarensium adventum Milesios eosque illis frequentiores ibi concessisse, id nulla, ut facile intelligitur, idonea ratione comprobari potest. — Quodetsi, Strabonis potissimum auctoritate adducti, Milesios primos Heraclaeae conditores fuisse concedimus, tamen quod ceteros colonos, qui hanc urbem ad tantam claritatem evexerunt, ut eam Ponti aliquando quasi oculum ac sidus fuisse affirmare non dubitemus, silentio praeterivit Geographus: ab hac parte non substinebimus eum negligentiae crimine absolvere. Satis habeo ea, quae nobis tradere ei placuit, pro mea parte explicuisse. — His relictis ad eos scriptores redeamus, qui de Megarensium et Boeotorum colonia memoriae prodiderunt. Hos simul, non diversis temporibus Heraclaeam frequentasse vel ex Scymni verbis conjicere fas est, cui soli etiam accuratam temporis, quo hoc factum sit, definitionem debemus; tum videlicet, cum Cyrus apud Medos summa rerum potitus est h. e. circa Ol. 55, 1. = 559. a. C. ¹⁾

¹⁾ V. Clinton. Fasti Hellen. ad Ol. 55, 2. et Append. XVIII. Raoul. R. T. IV. 406.

Ceterum ex eo, quod Megarenses non semel etiam soli Heracleae conditores appellantur: deinde quod Pausanias discrete Tanagraeos dicit Megarensibus se adjunxisse tamquam coloniae participes¹⁾; denique quod ipsa urbs *δωρικὴ πόλις* vocatur, doricaeque dialectum in ea praevaluisse ex nummis apparet: hinc sine controversia statui posse confido, Megarensium si non, id quod mihi quidem verosimillimum esse videtur, numerum colonorum longe majorem, at auctoritatem certe tantam fuisse, ut rebus omnibus et publicis et privatis speciem indolis suae popularis, h. e. Doricae, conciliarent atque imprimerent, impressamque per longum tempus servarent²⁾. Quae si vera sunt, ut sunt meo iudicio verissima, dubitari non posse videtur, quin etiam *κρήνη* coloniae deducendae ab iisdem Megarensibus profecta sit; de cujus causis jam pauca quaedam disputabimus.

De causis deducendae Heracleae coloniae. Ofr. Müllerus quidem (I, 290. sq.) in Bosphori regionibus antiquissimas Minyarum colonias fuisse atque omnino in Ponti australi usque ad Sinopen ora et Boeotos et Dores consedissee probabile fecit. Sed quamdiu vel quatenus priscae illae civitates cum Boeotis in Graecia conjunctae fuerint, certis argumentis evinci non quit. Megarenses autem, quibus colonias in terris trans mare petendis proprium condendi studium fuit, jam antiquis temporibus Propontidem atque etiam Pontum navigasse notissimum est; qua in re praetermitti non debet, statim primam eorum ibi coloniam Astacum, sub initium Olympiadis XVII. deductam, oraculi jussu ab Astaco esse denominatam, generoso quodam et cordato viro ex eorum prosapia, qui Sparti et terrigenae olim Thebis vocabantur, teste Memnone cp. 21. Accedit, quod jam ab Minoa inde aetate ut vi-

¹⁾ De simili turba mixta, quae cum Doribus sedes novas quaereret, cf. Findar. Pyth. V, 101. Isthm. VII. Paus. V. 4, 1. Hoeck, Kreta T. II. p. 418. sq.

²⁾ Luculentum ejusdem rei exemplum Dorienses in Creta coloni sunt. Hoeck, Kreta T. III. p. 407. sq.

cinitate ita amicitia conjuncti fuerunt Megarenses cum Boeotis ¹⁾).

Itaque in Heraclea frequentanda non est, quod tamquam rem novam admiremur harum gentium societatem. Jam vero quaeritur, quaenam apud utroque causae fuerint coloniam illam deducendi. Non omnibus eandem causam relinquendi quaerendique patriam fuisse; alios excidia urbium suarum, hostium armis elapsos, in aliena spoliatos suis expulisse; alios domesticam seditionem submovisse; alios nimiam superfluentis populi frequentiam ad exonerandas vires; alios pestilentiam aut frequentem terrarum hiatum; alios aliam causam excivisse domibus suis, — jam a Seneca ²⁾ observatum et a recentioribus scriptoribus saepenumero decantatum exemplisque satis superque illustratum est. Restat igitur, ut quid Megarenses, quid Boeotos expulerit, aut veterum testimoniis demonstremus aut conjectura probabile faciamus.

De Megarensibus, quod ad rem nostram faciat, nihil traditum est certi. Itaque eorum historiam aut verius historiae fragmenta respiciamus ³⁾. Fieri enim potest, ut hac ratione tenebris istis aliquid lucis impertiatur. Nobilium apud Megarenses principatum, quo jam inde antiquitus multitudo oppressa tenebatur, dissolvit Theagenes, qui quo tempore Cylon Athenis regnum affectavit (Ol. 42.), cui et filiam ille in matrimonium dederat et copias in auxilium miserat, (Thucyd. II, 126.) tyrannidem exercebat, quam, propter inimicitias cum locupletioribus susceptas fidem apud multitudinem, quasi popularis esset, consecutus, occupaverat. Qui quamdiu civitati praefuerit, parum apertum est. Plutarchus autem, in Quaest. Gr. c. 18. eum expulsus a civibus esse narrat; quod cum, post Cylonium, ut

¹⁾ V. Reinganum, *Das alte Megaris* p. 117. sq.

²⁾ *Consol. ad Helv.* c. 6.

³⁾ Otrfr. Müllerus I, 166. sq. Welcker. *Theogn. Reliq. Praef.* p. 7, et qui eum recensuit V. D. in *Annal. Heidelb.* VII. (XX.) F. 29. (1827).

videtur, piaculum et Salamina expugnata (Ol. 45.), factum esset¹⁾; Megarenses, aliquod tempus σωφρονήσαντες κατὰ τὴν πολιτείαν, coeperunt ὑβρίζειν²⁾.

Populi ductores ut bona privatorum publicare possent, magnum nobilium numerum ex civitate exterminaverant, donec illi in patriam ab exilio reversi populum superarunt et oligarchiam ex democratia fecerunt. Illam igitur rerum perturbationem — qua legibus omnibus dissolutis possessiones, magistratus, sacerdotia a nobilibus ad plebem delapsa erant, quamque Theognis poeta, (c. Ol. 58. nominis fama vigens) optimatum partibus addictus, ut rem adhuc durantem diserte perstringit, — si causam esse statuamus, quae Megarenses, nobiles imprimis et divites, domibus suis exciverit et ad novam in Pontum deducendam coloniam impulerit, non multum nos a vero aberrare nobis videmur.

Bocotos, quos illo tempore ad colonias deducendas haud ita propensos fuisse et aliis testimoniis constat et Justinus l. l. diserte indicat, quum pestilentia tum gravi cum Phocensibus bello vexatos, tandem, repetito oraculi admonitu, patriam reliquisse testis idem est Justinus; cujus fidem ut suspectam habeam non faciet, quam R. Rochettius profert, dubitatio. De bello illo Phocensi aliunde nihil compertum habemus; nec mirum, quoniam Bocotorum illius aetatis historiarum notitia perquam est manca atque imperfecta. De oraculi autem integritate non facile equidem addubitabo. Etenim quod Celsus monet apud Orig. VII, §. 3. oracula Graeca totam terram coloniis crebro replevisse, et quod Cicero dicit, de divin. I. c. 1. »quam vero coloniam Graecia misit in Aeoliam, Joniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo?» — id egregie comprobatur historia
colo-

¹⁾ Cf. Corsini Fast. Att. III, p. 64. et Heinrich, Epimen. p. 17. 80. quos laudat Meineke, Quaest. Scen. I, p. 4., qui procacem illam popularis dominationis libertatem circiter inde ab Ol. 45. vel 46. initium duxisse probat.

²⁾ V. Plut. I. c. Arist. Polit. IV, 12, 10. V, 2, 6; 4, 3.

coloniarum fere omnium ¹⁾. Imprimis vero Apollo Pythius de coloniis deducendis meritus est, quem non defuerunt ex illis, quae ut ἀρχαγέταν et κτίσαν eximio cultu prosequerentur. Atque ipsa ejusmodi de coloniis condendis oracula prae ceteris fide digna habenda sunt ²⁾. Quod in Pontum Deus misit Boeotos, id aut ex antiqua Boeotorum quadam in Ponto cum Boeotis in Graecia societate nondum intermissa, aut ex opportunitate, quam Megarensium in Pontum proficiscentium κήρυξις praebebat, interpretari licet; quo eodem facit, quod coloniam sacram Herculi condere jussi sunt, qui singulari a Boeotis pariter atque Doribus religione cultus, ubique fere Apollonis voluntatem exsequebatur, et, ut Mülleri (II, p. 451.) verbis utar, quasi praesidium susceperat in omni Graeci nominis amplificandi occasione, ut, quo audacius quaeque colonia in vastas et incultas barbarorum terras ejecta videbatur, eo magis illius auxilium desideraretur eoque pluribus ipse fabulis celebraretur ³⁾. Sic in Heracleotarum Ponti commodum cum Bebrycibus indigenis; sic in Cyrenensium commodum cum Libycis gentibus de agrorum possessione certabat, ac sine dubio Massiliensium quoque Heraclea ad Rhodanum condita cum fabulis illis de Herculis rebus apud Ligures gestis cohaeret (Müller. Proleg. p. 173.); quin etiam Heraclea Trachinia ab Hercule originem habere credita est ⁴⁾, et Heraclea Siritis in Herculis honorem saltem denominata est a Tarentinis, qui ex Sparta ejus cultum secum duxerant. Non igitur mirabimur,

¹⁾ R. Roch. T. IV. Indic. v. Oracle. Ipsorum Heracleotarum colonias duas primarias oraculi jussu deductas esse infra videbimus.

²⁾ Wachsmuth. Hellen. Alterth. Vol. IV. p. 506. 509.

³⁾ Similiter Phoenices itinera sua mercatoria Herculi tribuebant, omnesque periculi plenas expeditiones adscribendas esse putabant. Diodor. IV, 17. et passim.

⁴⁾ Scythinus et Polemo apud Athen. XI, 461. coll. Diodor. XII, 59.

si Heracleae Ponti quoque conditorem ipsum Herculem creditum esse legimus, cui et ipse Deus urbem sacram esse jusserat et Heracleotae, ut suo loco demonstrabimus, cultum tribuerant praecipuum. »Datur enim haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat.« — Tradiderunt eam opinionem Menander Rhetor, Pomp. Mela, alii ¹⁾; nec non ipsi Heracleotae in nummis Herculem urbis κτίσαν praedicaverunt.

Eos autem, qui colonorum in Pontum proficiscentium ductorem aliquem fuisse suspicantur Herculis nomine inclitum, vix est quod respiciamus. De Hercule Heracleae conditore deque Idmone πολιούχῳ, quem initio hujus capituli ab Apollonio ejusque scholiastis commemoratum legimus, deque aliis quae ad urbis primordia spectant fabulis, pluribus nos infra singulari de rebus sacris capite disputabimus. Verbo hic monemus, non latere nos coloniarum ductorum nomina: fuerunt Gnesiochus Megarensis, Panelus et Damis Boeoti ²⁾, quorum primus cum Bocotos duxisse ipse Megarensis dicatur, facile conjicias eum universae coloniae fuisse principem.

¹⁾ Menander de Encom. II. c. 3. p. 92. ed. Heeren. (ἐκ τοῦ συμφερόντος ἐστὶ πόλεως γένεσις) ὡς καὶ Ἡρακλείαν τὴν ἐν Πόντῳ, ὅτι τοὺς βαρβάρους ἀνασέλλων Ἡρακλῆς τὸν ἐκεῖ τόπον κατήκισεν. Mela I, c. 19. §. 7. „In eo (Ponto Eux.) primam Mariandyni urbem habitant ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam: Heraclea vocitatur, id famae fidem adjicit.” Quo tamen cave referas etiam Apollodori locum, L. II, c. 5. ubi Ἡράκλεια non est urbs Heraclea, sed ἡ χώρα Ἡράκλεια, ager Heracleus. v. Heyne. p. 381. — Adde Liban. de vita sua p. 12. c. ed. Paris., et Georg. Cedren. Histor. Compend. p. 96. E. ed. Ven., p. 120. ed. Par.

²⁾ Schol. Apoll. II, 351. ἡ δὲ Μαρριανδυνία κεῖται μὲν μετὰ τὴν Βιθυνίαν, ἤκησαν δὲ αὐτὴν Βοιωτοὶ σὺν Γνησιόχῳ τῷ Μεγαρεῖ, ὡς Εὐφορίων ἱστορεῖ, ubi Εφορος legendum esse pro vulgato Εὐφορίων, ut ad v. 845, animadvertit Marxius, Ephori Fragm. p. 196. 197., approbante Wichersio ad Theopomp. p. 232. At Euphotionem quoque de Mariandynis disseruisse, ex Athenaeo VI. p. 263. apparet. Cf. Müller. I. 291. n. a. De Panelo v. Steph. Byz., de Damide Suidam v. Ἡρακλειδῆς, quem utrumque supra laudavimus.

Quamquam post mixtae illius simul peregrinantium turbae in Ponto adventum novos subinde colonos urbem frequentasse, vix ut posterioribus temporibus patria civitas accurate discerni posset, haudquam negamus.

Megarenses igitur atque Boeotos, postquam ad eum locum, quem designaverat Deus, pervenerunt, a Milesiis, intermissa invidia mercatoria, benigne exceptos esse, probabile est, quippe quibus in regione, a barbaris usque infestata, colonorum incrementum non posset non esse exoptatissimum. Nec parvo illud novae coloniae adjumento fuit, quod in vicinitate alias Megarensium jam tum opulentissimas civitates invenerunt: Astacum (conditam Ol. 17.), Chalcedonem *εὐδαίμονα* (Ol. 26, 2.) Byzantium (Ol. 30, 3.), Selymbriam (ante Ol. 26.), quarum auxilio, necessitate jubente, confidere possent, quibusque societate inita, in mercatura amplificanda subleverentur. Ac profecto hac ratione brevi tempore magnas illas opes parare potuerunt, quas Justinus l. l. eos, »quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati essent,« paravisse opinatur.

Plurimum vero ad Heracleotarum rempublicam in id quod temporis decursu eos consecutos esse videbimus fastigium evehendam contulit Mariandynorum servitus, de cujus condicione, priusquam ad ipsum Heracleoticae reipublicae statum, eorumque historiam delineandam progrediamur, jam nos instituemus quaestionem.

Cap. III. De Mariandynorum servitute.

Mariandynos, pariter atque Thynos et Bithynos antiquissimis temporibus ex Thracia in Asiam transgressos, ora maritima inter Sangarium fluvium et Paphlagoniae fines occupata, praecipuam circum Heracleam sedem habuisse, ex dissertatione apparebit, quam nos infra de illorum origine et sedibus insere-

mus uberiorem. Nunc servitutem ab Heracleotis Mariandynorum genti injunctam quae spectant veterum scriptorum testimonia deinceps subjiciamus integra. Perspicuitati enim consuli putavimus, si ab ipsis veterum scriptorum locis explanandis rem omnem repeteremus.

Plato Legg. VI. p. 623. f., (quem laudat Athenaeus VI, 264. d.) σχεδὸν γὰρ πάντων τῶν Ἑλλήνων ἢ Λακεδαιμονίων εἰλωτεία πλείστην ἀπορίαν παράσχοιτ' ἀν καὶ ἔριν, τοῖς μὲν ὡς εὖ, τοῖς δ' ὡς οὐκ εὖ γεγονυῖα ἔστιν. ἐλάττω δὲ ἢ τε Ἡρακλεωτῶν δουλεία τῆς τῶν Μαριανδυνῶν καταδουλώσεως ἔριν ἀν ἔχει, τὸ Θετταλικὸν τ' αὖ Πενεσικὸν ἔθνος. De quo loco classico celeberrima exstat disputatio Ruhnkenii ad Timaei Lexicon. s. v. Πενεσικόν. p. 241. sq. (ed. Koch. p. 178. sq.).

Posidonius et Callistratus apud Athen. VI, 263. D. sq. Ποσειδώνιος δὲ φησι ὁ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἐν τῇ τῶν ἱστοριῶν ἐνδεκάτῃ. Πολλοὺς τινὰς, ἑαυτῶν οὐ δυναμένους προΐεσθαι διὰ τὸ τῆς διανοίας ἀσθενέες, ἐπιδοῦναι ἑαυτοὺς εἰς τὴν τῶν συνετωτέρων ὑπερησίαν, ὅπως παρ' ἐκείνων τυγχάνοντες τῆς εἰς τὰ ἀναγκαῖα ἐπιμελείας, αὐτοὶ πάλιν ἀποδίδωσιν ἐκείνοις δι' αὐτῶν ἅπερ ἀν ὡσιν ὑπηρετεῖν δυνατοί. Καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ Μαριανδυνοὶ μὲν Ἡρακλεώταις ὑπετάγησαν διὰ τέλους ὑποσχόμενοι θητεύσειν παρέχουσιν αὐτοῖς τὰ δεόντα προσδιαξειλάμενοι μηδενὸς αὐτῶν ἔσεσθαι πρᾶσιν ἔξω τῆς Ἡρακλεωτῶν χώρας, ἀλλ' ἐν αὐτῇ μόνον τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ. Τάχ' οὖν διὰ τοῦτο καὶ Εὐφορίων ὁ ἐποποιὸς τοὺς Μαριανδυνοὺς δωροφόρους κέκληκεν.

Δωροφόροι καλεοῖσθ' (καλέονται) ὑποφρίσσοντες ἀνακτας¹⁾.

Λέγει δὲ καὶ Καλλίστρατος ὁ Ἀριστοφάνειος, ὅτι τοὺς Μαριανδυνοὺς ὠνόμαζον δωροφόρους, ἀφαιρουντες τὸ πικρὸν τῆς ἀπὸ τῶν οἰκετῶν προσηγορίας, καθάπερ Σπαρτιάται μὲν ἐποίησαν ἐπὶ τῶν εἰλωτῶν, Θετταλοὶ δ' ἐπὶ Πενεσῶν. Athenaeum exscripserunt Phavorinus s. v. Θεράποντα, et Eustathius ad II. π. p. 1090, 53. E. R. T. III, p. 362. ed. Lips.

Strabo, XII. p. 373. C. Εἴρηται δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι πρῶτοι τὴν Ἡράκλειαν κτίσαντες Μιλήσιοι τοὺς Μαρι-

¹⁾ V. Euphor. Fragm. 73. ed. Meineke.

ανδρῶν εἰλωτεύειν ἠνάγκασαν τοὺς προκατέχοντας τὸν τόπον ὥστε καὶ πιπράσκεισθαι ὑπ' αὐτῶν, μὴ εἰς τὴν ὑπερορίαν δὲ συμβῆναι γὰρ ἐπὶ ταῦτοις καθάπερ Κρησὶ μὲν ἐθήτευεν ἡ Μινῶα σύνοδος. Θετταλοῖς δὲ οἱ Πενέσαι 1).

Photius, Lex. Κλαρῶται μέτοικοι ὡς Μαρ-
ανδρῶν ἐν Ἡρακλείᾳ καὶ Εἰλωτες ἐν Λακεδαίμονι, καὶ
ἐν Θετταλίᾳ Πενέσαι, καὶ Κιλλικύριοι ἐν Συρακούσαις.

Pollux III, c. 8, 83. Μεταξὺ δὲ ἐλευθέρων καὶ
δούλων οἱ Λακεδαιμονίων Εἰλωτες, καὶ Θετταλῶν Πενέσαι
καὶ Κρητῶν Κλαρῶται καὶ Μινῶται, καὶ Μαρ-
ιανδρῶν Δωροφόροι, καὶ Ἀργείων Γυμνήτες καὶ Σικυονίων Κο-
ρυνηφόροι.

Eustathius ad Il. β. p. 295. E. R., ex appo-
sita Ofr. Mülleri (III, 59.) emendatione: Κιλλικύ-
ριοι δὲ ἐν Συρακούσαις, Μαρ-
ιανδρῶν δὲ ἐν Ἡρακλείᾳ Πόντου
καὶ Κλαρῶται δὲ ἐν Κρήτῃ. —

Hesychius. Δωροφόρους τοὺς αἰκέτας Μαρ-
ιανδρῶν.

In antiquis Graeciae civitatibus fere omnibus
iis, quas, priscis regionum incolis oppressis, alieni-
genae condiderant, eum habitatorum statum fuisse,
ut soli victores essent cives, victi loco haberentur
servorum, non est quod multis exponam. Imprimis
vero in Doricis civitatibus adeo necessarij erant ser-
vi 2) adeoque ad rerum publicarum fundamenta per-
tinebant, ut civitatum descriptio sine servitiis non
integra esse videretur, neque condicio eorum nisi
cum totius Doricae institutionis eversione dissolve-
retur. Nec per Graeciam continentem tantum, sed
etiam per colonias antiquos sedium habitatores in
servitutem redegerunt Graeci, eoque majori rigore
atque severitate in his subjiendis usi sunt, quod

1) Legendum hoc quidem loco Μινῶα σύνοδος ex auctoritate,
monuit Hoeck, Kreta T. III. p. 31. —

2) Semel id moneo, servos hic me intelligere glebae ad-
scriptos, non mancipia s. venalities, quorum tamen
gregem non minus quam in ceteris etiam iis civitatibus
quae altero illo servorum genere utebantur, apud He-
raclaeotas frequentem fuisse, nemo est qui negaverit.

barbari essent; barbari enim et servi natura iidem habebantur ¹⁾. Unde accidit, ut qui in Graecia servi facti essent e bello victis, veluti Penestae, Helotes, accurate distinguerentur a servis natis ²⁾. Verum Mariandyni, quos scilicet cum Helotibus et Penestis non semel comparatos vidimus, tametsi non minus quam Paphlagonum contermini, qui cum Cappadocibus ceterisque Ponti gentibus ³⁾ maxime semper barbari habebantur maximumque Graecis venalium gregem suppeditabant, natura fuerint servi (γόνῳ δούλοι), eam tamen rem praeter ceteros barbaros a Graecis in servitutem quandam redactos praecipuam habuerunt, quod haud ita aspere a Doriensibus tractati esse videntur. Namque, ut hoc a principio praemoneam, quod Strabo tradit, a Milesiis, qui primi Heracleam frequentassent, subactos esse Mariandynos, id hanc potissimum ob causam in dubitationem vocari debet, quod et illi, qui hanc gentem subegerint, haud mediocribus opibus praediti fuisse putandi sunt, atque ipsos Mariandynos, etiamsi, quod verosimile est, sponte sua se tandem in fidem et potestatem Heracleotarum permiserunt, tamen, nisi firmum quoddam praesidium certamque clientelam a futuris dominis sibi praestandam exspectassent, vix credibile est, ad condicionem eam, quam Posidonius l. l. describit, accessuros fuisse. At dixerit fortasse quispiam: »Milesii ii, quos primos in Mariandynis sedes fixisse dictum est, etiamsi exiguis tantum viribus praediti fuerint, tamen nihil obstat, quominus Straboni fidem habeamus; cum quippe Milesii in his regionibus non propter singularum quidem civitatum nimias opes, sed propter conspirationem universarum potentissimi fuerint et, quamvis per civi-

¹⁾ Aristot. Pol. I, 1, §. 5. Διό φασιν οἱ παιηταὶ «Βαρβάρων δ' Ἑλλήνας ἀρχεῖν εἰκόσ, ὡς ταῦτ' οὕτως φύσει βάρβαρον καὶ δούλον ὄν. —

²⁾ Athen. VI, 264. A. Πενέστας τοὺς μὴ γόνῳ δούλους, διὰ πολέμου δὲ ἠλωκότας. Cf. Eustath. ad Il. β. p. 295., π. p. 1090, 52. E. R. — Ammonius v. Πενέστης.

³⁾ Herod. IH, 46. et passim. Lucianus in Pseudomanti, Polybius. L. IV., Philostr. Vit. Apoll. VIII. —

tates veluti per membra divisi, unum tamen corpus et unum imperium habuerint, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsare potuerint.« Libenter equidem concedo, sine magna quadam conspiratione, vix intelligi, quomodo Graeci in Ponti regionibus a ferocissimis gentibus occupatis, tot tantasque civitates condere conditasque ab injuriis barbarorum defendere potuerint. Verum enimvero si jam Milesiorum colonis contigisset, ut Mariandynos subjicerent: certe validiore inde incremento eorum opes auctae fuissent, quam ut aut Megarenses et Boeotos has sibi sedes delecturos, aut ipsos Milesios novos illos diversae stirpis colonos in civitatem recepturos fuisse putemus; quorum quidem tanta fuit frequentia, ut primam Milesiorum coloniam omnino propemodum obscuraverint.

Itaque, nisi quae Strabo de prima Milesiorum in Mariandynos dominatione tradit ex mera illorum magniloquentia profecta esse suspicari mavis, Milesios quidem societate aliqua cum Mariandynis facta futurum dominatum praemunivisse putes; Megarenses vero haud dubie, patria h. e. Dorica institutione usi, eam perfecerunt; quos et ipsos haud sperendam in Propontidis et Ponti regionibus potentiam jam inde antiquitus assecutos fuisse, vel frequentes eorum coloniae inter medios barbaros conditae indicio sunt; ex quibus Byzantii quoque vicinos Bithynos sive Thraeces sibi obnoxios fecerunt¹⁾. — Quodetsi fortasse invida quadam aemulatio Milesios inter et Megarenses intercesserit, tamen — cum, ubi barbaris obviam eundum esset, vel propter communem utilitatis salutisque juvandae curam, invidiam deponere vel potius hostes celare deberent, — tantum haec universorum conspiratio Graeci nominis terrorem barbaris incussisse videtur, ut Heracleotae auctoritate magis quam vi imperium sibi vindicarent et sustentarent. Ac populus certe, quales Mariandyni erant, non solum, ut pleraeque omnes Ponti

¹⁾ Athen. VI. p. 272. C. Zenob. IV, 54. Eustath. ad II. π. p. 1090, 23. ed. R.

gentes, illiberali ingenio, ad servitutum potius quam ad libertatem, nedum ad dominatum ab ipsa natura fictus atque formatus, sed etiam perniciosis bellis multo ante Graecorum colonorum adventum attenuatus et debilitatus ac novis semper, ut videtur, finitimorum impressionibus vexatus, necessariae per hostes occidioni, — quam quippe susceptis cum Graecis quoque inimicitis sibi maturaturus fuisset, — voluntariam servitutum¹⁾, qua tutum saltem vitae tenorem depaciscerentur, non poterat non praeferre. — Quam quidem deditionem voluntariam nemo mirabitur Posidonio Stoico visum esse signum imbecillitatis mentis, Quod autem ipsas attinet pactiones, quibus confectis *Μαριανδυνοὶ Ἡρακλεώταις ὑπετάγησαν διὰ τέλους ὑποσχόμενοι θητεύσειν παρέχουσιν αὐτοῖς τὰ δεόντα, προσδιασειλάμενοι μηδενὸς αὐτῶν εἶσθαι πρῶσιν ἔξω τῆς Ἡρακλεωτῶν χώρας, ἀλλ' ἐν αὐτῇ μόνον ἰδίᾳ χώρᾳ* — ²⁾ — primum observandum est, in conditione illa »de non dividendo extra fines« primariam positam esse distinctionem servorum glebae, et venalitorum. Quod tamen Tittmannus, l. c. p. 627. conjecit: »cum Mariandyni id tantummodo sibi pactum habuissent, ne extra fines dividenderentur, Strabonem et Athenaeum (immo Posidonium) falsa quadam argumentatione ductos rem ita tradidisse, quasi intra fines utique vendi potuissent«, vereor, ne huic suspicioni auctoritas nulla suffragetur. — Alterum quod nacti Mariandyni sunt, ut, iis quae necessario provideri deberent, ab Heracleotis defensi, vicissim redderent suam ipsis quam possent ministrandi operam, ut scilicet agros eorum colerent

¹⁾ Voluntariam deditionem dico Posidonium secutus. Nam quod Strabo dicit: *Μιλήσιοι τοὺς Μαριανδυνούς εἰλωτεύειν ἠνάγκασαν*, id puto non esse nimis urgendum. Neque multa illa Heracleotarum adversus finitimos bella, quae Justinus l. c. commemorat, in contrariam sententiam commode afferri possunt.

²⁾ Cf. Ofr. Müller. III, 63. — Audiebant isti venalitiῶν: *χρυσασητοὶ, ἀργυρασητοὶ, μισθῶ δουλεύοντες*. — De *προνείκους* h. e. bajulis mercenariis apud Byzantios cf. Pollux VII, 29. 132. Hesych. h. v. — Anecdota Graec. ed. Bekker, p. 1415. — Lobeck. Aglaoph. II. p. 1325.

et certa quotannis vectigalia pensitent: hanc, inquam, pactionem cum ceteris Graecorum servis iis, quorum omnino condicio certis pactionibus definita erat, communem habuerunt, cum Penestis cumque Spartanorum et Cretensium perioecis ¹⁾, non autem cum illorum Helotibus, horumque Clarotis. Nam quod cum et his et ceteris Graecorum servis rusticis: Mnoitis, Cilicyriis, Corynephoris, Gymnetibus, aliis, non solum componuntur, verum etiam comparantur, id posteriorum scriptorum errori tribuendum est, qui, cum res ipsa evanisset, omnia in unum caput conjicientes, nomina mirum quantum confuderunt, ut voces εἰλωτας, εἰλωτεύειν, πειέσας, latiori sensu ad diversissima rusticae plebis genera applicarent. —

Id vero in hac quoque re praecipuum iis praeter alios fuit, quod, ut demeretur vocis amaritudo, non servi, sed δωροφόροι, ipsa igitur tributa non ἀποφορά, sed δῶρα vocabantur. Quo eodem consilio Athenienses quoque post renovatum foedus sociale, Callistrato Aphidnaeo suasore, sociorum tributa non, ut antea, φόρους, sed συντάξεις aliquamdiu appellabant. — Welckerus in Prolegomenis in Theognidis Reliquias p. XX., apud Megarenses plebis rusticae peculiare fortasse nomen δωροφόρους fuisse suspicatur, quippe metropoli cum colonia Heraclea commune; δωροφόρους autem appellatos esse ut Atheniensium ἐκτεμύρους a tributis agro impositis; δῶρα enim tum magis proprie dona, regibus tamquam ultro offerenda, ῥητὰ γέρατα ²⁾, tum tributa dicta esse, regibus aut optimatibus solvenda. Verum enimvero etsi non me lateant βασιλεῖς illi δωροφάγοι apud Hesiodum (Op. et D. 38. 261.) neque negaverim equidem, τὸ δωροφορεῖν jam inde ex antiquo illo

¹⁾ Quod Plutarchus, Lycurg. 24. dicit: οἱ εἰλωτες αὐτοῖς εἰργάζοντο τὴν γῆν, ἀποφορὰν τὴν εἰρημένην τελούσιντες, ad perioecos pertinet. cf. idem, Lac. p. 239. Strab. VIII, 561. Athen. IV, 657. Hüllmann l. c. p. 33. 36. — De Cretens. servis Hoeck. III, 22 — 42.

²⁾ Praeter Platnerum, De Notion. juris et justitiae ex Homeri et Hesiodi carm. explic. p. 99., cfr. Wachsmuth, Hell. Alterth. Vol. I, p. 85.

tempore ad tributa, etiam optimatibus pendenda transferri potuisse, sicuti Callimachus Fragm. 59 haud dubie respiciens ad nobiles latifundiorum possessores, qui scilicet δημοβόρους βασιλέας ¹⁾ secuti in dominatu essent, facetissime Penestas appellavit γηφάγους: tamen nomen illud δωροφόρων a Megarensibus in Graecia, apud quos jam dudum fuerit usitatum, ad Heracleotas esse translatum, conjectura mihi videtur haud sane probabilis. Etenim, ut hoc tantum moneam, Megarenses, a ceteris scilicet Graecis aculeatis usque dictis perstricti, si tale quid unquam habuissent, id non defuturos fuisse puto aut aequales qui notarent, aut posterioris aetatis grammaticos qui, ubi de Megarensibus litterulas suas venditarent, verbulo saltem attingerent. Itaque primam hujus appellationis apud Heracleotas originem ab Asiae populis Persarum imperio subditis petendam esse arbitror, quos regibus immensa tributa, donorum nomine, obtulisse satis constat; quosque sine dubio respicit Platonis acerbum in sophistas dictum, (Phaedr. p. 266.) qui et ipsi ingentem ab auditoribus et discipulis pecuniam exigebant: σοφοὶ μὲν αὐτοὶ λέγειν γεγονόσιν ἄλλους τε ποιῶσι, οἱ δωροφορεῖν αὐτοῖς ὡς βασιλεῦσιν ἐθέλωσιν ²⁾. Quo in loco cave de antiquis Graecorum regibus cogites, quibus quae offererebantur munuscula levidensiora certe fuerunt, quam quae Platonem respexisse putes. Atque fidem facit huic meae sententiae, quod ipsi Mariandyni, postquam Croeso aliquamdiu paruerunt (Herod. I, 22), Persarum aliquando subjecti imperio (Xenoph. Cyrop. I, 1, 4) pariter atque ceterae Asiae minoris gentes, Cyro et Cambysi regibus, cum nihilum de tributis constitutum esset, orientalium more ³⁾ munera offerebant, Dario autem, τῷ καπήλῳ, certa quotannis tributa, φόρους, pendebant (Herod. III, 90.)

¹⁾ Homer. II, I, 231. Theogn. v. 1113. (δημοφάγος τύραννος).

²⁾ Cfr. Heindorf. et Ast. ad h. l. — Hesychius: δωροφορικὴ ἔσθης· οὕτω λέγεται ἢ βασιλεὺς Περσῶν δωρεῖται, scilicet legatis. v. Aelian. V. H. I, 22. Curtius. III, 3.

³⁾ Heeren, Ideen. T. I, p. 185. 549. sq.

et in Xerxis ingenti exercitu militabant (Id. 72. 75.). Unde facile conjicias Heracleotas Mariandynos cum in fidem reciperent, servatis, ut tristitiam et severitatem novi imperii mitigarent, antiquo more et nomine, *δωροφόρους* appellavisse. Ceterum quod eandem gentem prioribus Persarum regibus et tributis offerendis et militiae sustinendae obstrictam legimus, nihil hoc impedimento est, quominus jam a primis statim Heracleae conditoribus aut potius amplificatoribus, a Megarensibus dico, quos Cyro regnante coloniam deduxisse compertum habemus, Mariandynos in servitutem, quam modo descripsimus, reductos esse statuamus. Etenim gentes hujus tractus, utpote ab aula regum longissime remotae, laxioribus semper vinculis cum Persarum imperio conjunctae erant ¹⁾, quam ut has unquam Heracleotarum incremento moram obtulisse putes. Recensentur quidem Mariandyni in Xerxis copiis, sed secuti eum etiam Aeoles, Jones, Dores eorumque coloni ex Ponto sunt ²⁾.

Quidni igitur Heracleotas jam tum societatis quodam vinculo cum Persarum Regibus conjunctos fuisse credamus? Cujus societatis, posterioribus certe temporibus constantis, indubitata vestigia infra proferemus L. II. c. 2. ad ann. 423. et 364. — Sed ut redeat unde deflexit, oratio: sit nomen illud Mariandynorum *δωροφόρων* quam velis mite: tamen ex eo solo argumentum ducere non audeam, quo, quod supra conjecimus, haud ita aspera illos servitutis condicione usos esse, convincamus. Apud Persas certe illud donorum nomen nequaquam indicium lenitatis fuit. (Heer. p. 453.) Et quis est, quem fugiat Graecorum quoque, maxime Doriensium, in ejusmodi rebus ironia et dissimulantia?

Verum ipsae quas Mariandyni confecerant cum Heracleotis pactiones, praesertim ea, qua ut ne vendibiles essent sibi pacti erant, conjecturae

¹⁾ Id. p. 194. — ²⁾ Herod. VII, 93. 94, 95.

nostrae fidem facere videntur. Per haec namque pacta Mariandyni acque ac Penestae cum praeter ceteros Graecorum servos, tum praeter Helotas maxime, quorum servitus longissime ab aequitate abfuit (Athen. VI, 272. A.) certam quandam et officiorum et jurum definitionem praecipuam habuerunt. Atque hanc potissimum respiciens Plato l. l. minus dubitationis (ἐλάττω ἔρις) servitatem Mariandynorum et Penestarum, quam Helotarum praebere censet. Accedit quod nullum usquam Heraeleotarum in servos dominationis nimis acerbae vestigium invenitur expressum¹⁾. Quamquam verosimillimum est, antiquis pactionibus temporis successu obliterated, eandem Mariandynis quam Penestis obtigisse sortem, ut, cum nobiles divitesque Heraeleotarum domus, quo majorem gradatim auctoritatem et potentiam assequerentur, eo majorem sibi servorum numerum vindicarentur, ipsi Mariandyni in pejorem condicionem adducerentur. Certe Justinus l. l. ubi de servis a Clearcho tyrannidem invadente manumissis tradit, servos tantum honestissimarum domuum, h. e. senatorum, qui tum per fugerant, commemorat. Ex eo inde tempore conquistatis et plane praefactis pristinis reipublicae institutis meliore quidem quam antea condicione, nec tamen libertate homines istos esse gravisos, ex Aristotelis loco in Politicis (VIII, 5, 7.), apparet, quae 40 circiter annos post Clearchi tyrannidis initium conscripta esse constat²⁾: *πλήθους δὲ ὑπάρχοντος περσιόικων καὶ τῶν τὴν χώραν γεωργούντων, ἀφθονίαν ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ναυτῶν. ὀρώμεν δὲ καὶ τοῦτο καὶ νῦν ὑπάρχον τισὶν, οἷον τῇ πόλει τῶν Ἡρακλεωτῶν πολλὰς γὰρ ἐκπληροῦσι τριήρεις κεκτημέναι τῷ μεγέθει πόλιν ἐτέρων ἐμμελεσέραν²⁾.*

¹⁾ Nam quod Mannertus dicit, ab Heraeleotis non multo melius tractatos esse Mariandynos, quam Helotas a Spartanis, unde hauserit, equidem nescio, nisi forte ex locis illis conjecit, quibus Mariandyni cum Helotibus comparantur. Etiam Niebuhrus, Röm. Gesch. T. I, p. 59. (ed. I.) duram Mariandynorum condicionem commemorat.

²⁾ In aliis quoque civitatibus servi officia maritima sustinerunt, veluti Penestae apud Thessalos (Xenoph. Hell.

Quo loco quin Heraclea Ponti sit intelligenda, vix est quod addubitemus. Nam servos illos Heracleotarum in Phthiotide, quos ex Lydia oriundos, propterea quod calicis formam humeris inustam haberent, *Κυλίκρανας* vocatos esse tradit Polemo apud Athen. XI, 461., aut *Γεώνας* illos Heracleotarum in Lucania, de quibus doctissime disputavit Mazochius ad Tabulas Heracleenses, I, p. 225. sq., neminem fore existimo, qui huc referre malit.

Jam tandem finem facere licet hujus de Mariandynorum servitute disputationis, quae si forte docto lectori nimis verbosa videatur, id vitii rogo ut perspicuitatis studio condonet. —

VI, 1, 4.) Helotes *Δεσποσιναῦται* apud Spartanos (Athen. VI. p. 272. F.).

Libeꝛ secunduꝛ.

Historia Heraclaeotarum.

Cap. I. Praemonentur nonnulla de Heraclaeotarum reipublicae forma, quae fuerit ante tyrannidem.

Gravis aequae ac difficilis quam nunc aggreddimur quaestionis pro fundo sint quattuor Aristotelis loci quos ab aliis aliter explicatos antequam ipsi interpretemur, integros deinceps subjiciamus. —

I. Polit. L. V, c. 4. (5), ubi exemplis demonstravit, democratas maxime propter demagogorum insolentiam atque improbitatem mutari, §. 2, ita pergit: κατελύθη δὲ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ὁ δῆμος μετὰ τὸν ἀποικισμὸν εὐθύς διὰ τοὺς δημογωγούς· ἀδικούμενοι γὰρ ὑπ' αὐτῶν οἱ γνῶριμοὶ ἐξέπιπτον· ἔπειτα ἀθροισθέντες οἱ ἐκπίπτοντες κατέλυσαν τὸν δῆμον. Παραπλησίως δὲ καὶ ἡ ἐν Μεγάροις κατελύθη δημοκρατία κ. τ. λ. (cf. supra L. I, cp. II. p. 32.)

II. L. V. c. 5 (6), §. 2. — 'Ὅτε μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν εὐπόρων οὐκ ὄντων δ' ἐν ταῖς ἀρχαῖς γίγνεται κατάλυσις (sc. τῶν ὀλιγαρχιῶν) ὅταν ὀλίγοι σφόδρα ᾧσιν οἱ ἐν ταῖς τιμαῖς. οἷον ἐν Μεσσαλίᾳ καὶ ἐν Ἰσρῶ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ καὶ ἄλλαις πόλεσι συμβέβηκεν· οἱ γὰρ μὴ μετέχοντες τῶν ἀρχῶν ἐκίνουσι, ἕως μετέλαβον, οἱ πρεσβύτεροι πρότερον τῶν ἀδελφῶν, ὕστερον δὲ οἱ νεώτεροι πάλιν. — — Καὶ ἔνθα μὲν πολιτικώτερα ἐγένετο, ἐν Ἰσρῶ δ' εἰς δῆμον ἀπετελεύτησεν, ἐν Ἡρακλείᾳ δ' ἐξ ἐλαττόνων εἰς ἐξακοσίους ἦλθεν.

III. ib. §. 5. (Κινοῦνται δὲ αἱ ὀλιγαρχίαι) καὶ ὅπου τὰ δικασήρια μὴ ἐκ τοῦ πολιτεύματος ἐσι· δημαγωγοῦντες γὰρ πρὸς τὰς κρίσεις μεταβάλλουσι τὴν πολιτείαν, ὅπερ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐγένετο τῇ ἐν τῷ Πόντῳ.

IV. ib. §. 10. Postquam dixit, oriri seditiones in oligarchiis etiam ex mutuis offensis, quas pauci dominantes inter sese exercent, cum matrimonii iudiciorumve causa similitates per factiones suscipiant, ita pergit: Ἐκ δὲ δικασηρίου κρίσεως ἢ ἐν Ἡρακλείᾳ ῥάσις ἐγένετο καὶ ἐν Θήβαις ἐπ' αἰτία μοιχείας, δικαίως μὲν, ῥασιωτικῶς δὲ ποιησαμένων τὴν κόλασιν, τῶν μὲν ἐν Ἡρακλείᾳ κατ' Εὐρυτίωνος, τῶν δ' ἐν Θήβαις κατ' Ἀρχίου· ἐφιλονείκησαν γὰρ αὐτοὺς οἱ ἐχθροὶ, ὥστε δοθῆναι ἐν ἀγορᾷ ἐν τῷ κύφῳ.

Potest sane dubitari, Heraclea quae sit in tanta hujus nominis urbium multitudine, primo, altero et quarto loco intelligenda; sed ex eo, quod, ut recte Camerarius observat, omnium celeberrima fuit Pontica, facili negotio conjicias, ubi de Heraclea simpliciter scribat Aristoteles, ibi Ponticam esse intelligendam, sicuti et loco supra laudato de Heracleotarum perioecis (Pol. VII, 5, 7.). Nec profecto mihi quisquam persuadebit, Aristotelem, cum semel, §. 5., Heracleam Ponti diserte significaverit, tribus ejusdem ferme capitis aliis aliam locis Heracleam intellectam voluisse. Non igitur Schlosseri sententiam ¹⁾ approbaverim, qui Heracleam Trachiniam intelligat, quae et ipsa fere perpetuis seditonibus intestinis et bellis Lacedaemoniorum et Atheniensium vexata fuit ²⁾. Itaque hoc posito, ad Heracleam Ponti

¹⁾ Schlosserum (Aristot. Pol. interpr. germ. T. II, p. 168. n. 56.) sequuntur Fülleborn. (Observ. ad Arist. Pol. ed. Garvii T. II, p. 255. 258. 362) et Otrfr. Müllerus III, p. 63. Alteram sententiam video probatam a Casaubono ad Aeneam Poliorc. cp. XI. — Kortumio I. c. p. 144. — Hüllmanno, p. 103. 328., Wachsmuth. Hell. Alterth. V. I, p. 179. II, 108. —

²⁾ Heraclea Trachinia condita Ol. 88, 3. a Lacedaemoniis (cf. Thuc. III, 93. Diod. XII, 59., Euseb. Chron. p. 123.) ab Jasone Thessalorum principis deleta est Ol. 102, 3. = 371. a. C. (Diod. XV, 57)

referenda esse quaecunque Aristoteles supra tradit, explicandus nobis ante omnia eorum primus est de sublata democratia.

Graecas igitur colonias, quemadmodum filiae matris naturam reddere soleant, ita civitatum, unde profectae sint, mores et instituta, multaque alia quae ad cognationis memoriam servandam pertinerent, quantum ejus fieri posset, retinuisse, res est satis superque decantata. Atqui ex iis quae supra (pag. 32.) exposita sunt, apparet, Megarenses, quorum quidem et numerum et auctoritatem admodum ceterorum colonorum superasse necesse est, patriam reliquisse, quo tempore democratia, brevi post expulsum Theagenem instituta, demagogis dulci libertatis potu inebriantibus in effrenatam plane licentiam degeneraverat.

Quodetsi vero qui novam in Ponto patriam quaesiverunt magna pars, ut videtur, optimates fuerint, iique Dorienses e Megaris, qui, ut omnes fere Doricae civitates, antiquis certe temporibus, modesta patriorum institutorum observantia inclitae fuerunt, ita jam ipsi — sive vi aperta expulsi sunt, sive ut demagogorum licentiam effugerent, sponte solum verterunt, sive ex aliqua causa patriam reliquerunt, — haud immemores conversae et plane deperditae populari imperio reipublicae, pristinam ejus formam, h. e. oligarchiam, in novis sedibus instituere praeoptasse putandi sint, haud invitis fortasse Boeotis, qui et ipsi tum nobilium ditiorumque imperio assueti fuerunt, — etsi, inquam, bona colonorum pars oligarchiae Doricae favorit: tamen ab initio certe quum multitudinis viribus ad stabiliendam coloniam opus esset, ceterae mixtae Megarensium, Boeotorum, Milesiorum, aliorum tenuiorum hominum turbae cedere illi et plebem (τὸν δᾶμον) in communionem imperii accipere debuisse videntur.

Unde idem mox Heracleae quod antea Megaris factum est, ut demagogi nobiles divitesque injuria affectos e civitate expellerent; donec illi eodem fortasse tempore, quo idem apud Megarenses accidisse supra dictum est, certe non multo post coloniam conditam (μετὰ τὸν ἀποικισμὸν εὐθύς), nescimus quam

nam temporum opportunitate adjuti, in unum contractis copiis, in civitatem reversi democratia sublata oligarchiam instituerunt: quam per satis longum temporis intervallum apud Heracleotas stetisse, non desunt veterum scriptorum testimonia: quae tamen cum nec plenam nec solidam hujus rei notitiam exhibeant, jam nos ea, quae de ceteris Doricae institutionis civitatibus explorata habemus, tamquam complementum in hanc rem nostram convertere conabimur. — Graeci igitur, qui Heracleae conserant, non magis quam qui in ceteris Doriensium civitatibus degebant, omnes pari juris libertatisque conditione gaudebant. Sed ut in ceteris coloniis coloni tantum primi cum summo imperio atque potestate in republica versabantur, ita Heracleae quoque Megareses, Boeoti et si qui aderam Milesii, vel nobilitate vel opibus conspicui, agros, quos Mariandynis ereptos occupaverant, certis quibusdam portionibus (κλήροις) inter sese dispersiti, soli τὴν πόλιν (Doriensium sensu) s. τὸ πολίτευμα constituebant; sed qui post agrorum distributionem advecti sunt (ἔποικοι ὑπεροῦντες τῆς κληροδοσίας) in plenam imperii societatem pervenire non poterant, cum quippe, qui ab initio Graeco nomini inter barbaros auctoritatem conciliaverant, plura bona majoresque honores consecuti essent, quam qui post conditam atque munitam urbem eodem confluerunt (v. Otrfr. Müller. III, p. 60. sq., 171. sq.) —

Novi hi advenae, qui ex Graecis civitatibus trajecti inter Heracleotas sedes collocaverant, pariter atque ii Graeci, qui primae coloniae ductoribus nobilioribusque familiis aliquomodo subjecti a principio fuerant, plebem (τὸν δᾶμον) constituebant, optimatibus illis oppositam. Mariandyni denique, qui solis optimatibus parebant, eorumque agros colebant, τῶν περιούκων instar aestimabantur. —

Videmus igitur apud Heracleotas eosdem tres illos ordines, quibus plerasque antiquiores, Doricae imprimis gentis, civitates fundatas fuisse constat. Nec minus Doricam eorum institutionem prodit ternarius numerus tribuum, τῶν φυλῶν, quae etsi posteriori demum tempore commemoren-

tur, tamen ad prima statim civitatis initia referendae sunt, siquidem in iis fundamentum quasi positum erat omnium in Graecis civitatibus institutorum. Sed plura de hac liberorum civium divisione deque reipublicae administratione infra disputabimus.

Ad quam usque aetatem Heraeotarum, quam paucis modo significavimus, oligarchia servata sit integra, parum constat; id tantum compertum habemus, interjecto ducentorum circiter annorum intervallo, post continuas dissensiones domesticas tandem firmamenti reipublicae eversis, Heraeotas sub imperium cecidisse tyrannorum. Quod antequam passi sunt malum, haud pauca extant vestigia, quibus significatur, oligarchiam interea labefactam fuisse; quin etiam ipsum reipublicae statum hoc interea spatio diserte democratiam appellatam reperimus. Ac suspicor equidem, jam diu ante tyrannidem plebis opes eoque accrevisse, ut optimatum cupiditati resistere vimque ad extremum frangere posset. Quodetsi tantum abest, ut popularis apud Graecas civitates imperii originem in rebus quibusdam fortuitis et externis quaerendam esse putem, ut primariam illius causam in propria ipsius gentis indole positam fuisse censeam: tamen, cum res utique certas fuisse quasdam, quibus quod natura illis ingenuerat, mirum quantum adjuvaretur et ad maturitatem tandem produceretur, negari non queat, haud ineptum esse arbitror, si, priusquam ipsa veterum de mutata Heraeotarum reipublicae forma testimonia afferam, de opportunitatibus ad plebis vires augendas paucula quaedam praemoneam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. — Quod qui primi advecti civitatem condiderunt non eadem omnes fuerunt stirpe oriundi, sed Doros alii, alii Boeoti, alii Iones ex Mileto, id, etsi naturalem quandam morum diversitatem effecerit ac posteris quidem temporibus invidiam fortasse et factionum apud ipsos optimates studium excitaverit, tamen, cum quem ipsi reipublicae statum fixerant atque fundaverant, ad eum tuendum communi suorum commodorum studio continerentur, ad popularis spiritus motum nihil aut non multum certe momenti habuit.

Verum enimvero inferiorem civium ordinem apud Heracleotas, pariter atque in ceteris civitatibus maritimis mercatura celebribus, homines constituebant, maximam partem ex colluvie omnium Graeci nominis gentium mixti, a gubernaculis reipublicae omnibusque honoribus exclusi, agrorum possessione exempti, ad officia tantum et mercaturam adsignati, nullo denique alio vinculo nisi privatorum commodorum cura et communi optimatum invidentia conjuncti.

Atque ejusmodi homines ut natura sunt inconstantes ¹⁾, si quando, qui ad reipublicae gubernacula sedent, seu opportunitate sive iniquitate temporum adducti a moderata imperii ratione recedunt, statim seditiones miscent ac rei publicae statum pervertere student. At dixerit fortasse aliquis: »quod in iis Doriensium civitatibus, quae mercatura florebant, veluti apud Corinthios, Aeginetas, alios factum plerumque est, ut principes genere ac divitiis, qui ab initio latifundia possidebant, iidem, obliti priscae Doricae institutionis, ne accrescentibus in dies mercatorum opibus superarentur, ipsam etiam mercaturam sibi vindicarent ²⁾, id non minus apud Heracleotas accidisse verosimile est, praesertim cum, qui a principio in republica constituenda ceteris colonis majorem auctoritatem habuerint, Megarenses, ex urbe profecti mercatura jam tum imprimis celebri, commercia, quorum initia jam antea Milesii haud dubie inchoaverant, sibi vindicasse et amplificasse putandi sint; ad quam quidem rem efficiendam magnam iis utilitatem praebuit servitus Marianynorum, quibus Heracleotas triremes complevisse testis est Aristoteles Pol. VII, 5, 7. Ex his omnibus igitur colligi potest, propter illud εἰς ἄπειρον κτᾶσθαι majores opes in optimatum usque manibus positas fuisse, quam ut inferior civium ordo tam facile emer-

¹⁾ Cfr. quae Thucydides de Graecis Siciliae civitatibus dicit, IV, 7. ὄχλοις τε γὰρ ζυμμίκοις πολυανδρούσιν αἱ πόλεις καὶ ῥαδίως ἔχουσι τῶν πολιτειῶν τὰς μεταβολὰς καὶ ἐπιδοχάς.

²⁾ Otrf. Müller. Aegin. p. 133. Wachsmuth hell. Alterth. Vol. I, p. 157. Hoeck Kreta III, 66. sq.

gere posset. — Accipiat is contra, quaesumus, in ceteris quoque civitatibus, quae eadem prorsus qua Heracleotae rerum condicione utebantur, plebis potentiam non diu oppressam teneri potuisse, neque apertum esse, cur apud Heracleotas aliter rem processisse putemus. Accedit quod apud eos, quae quidem res vix dici potest quantum ad democratiam maturandam momenti habuerit, plebs non, ut in ceteris ejusmodi civitatibus, ab urbe seclusa, sed ab initio in eam intromissa fuisse videtur. Atque haec quidem multarum et diversarum, ut solet, gentium identidem advenientium turba adaucta, — dum optimatum domus vel propter generis dignitatem (propter ἀκρατον καὶ δωρικὴν ἀριστοκρατείαν) vel propter fortunarum copiam superbientes, promiscuo cum inferioris ordinis hominibus connubio abstinent, ideoque deminuuntur magis quam adaugentur, — accreverit in dies et cum numero postulationes de pari juris libertatisque condicione intenderit atque amplificaverit necesse est. Neque praetermittendum est Heracleotas multis semper bellis implicitos fuisse quorum quae navalibus certaminibus confecissent eorum palmas plebem potissimum sibi vindicare iisque haud immerito fretam, optimates ad eum usque finem premere potuisse, dum quae postularet, ab iis impetraret. Nam quod supra ex Aristotele de Mariandynis ut de Heracleotarum nauticis commemoratum est, id ad ipsius Stagiritae aetatem referri ipsa ejus verba jubent; qua aetate apud Heracleotas ipsa alia omnia conversa fuisse infra videbimus. Atque hoc ipso posito atque concesso, jam inde antiquitus Mariandynos, tamquam πλήρωμα, ministeriis nauticis obligatos fuisse, quid hoc contra sententiam nauticam? Nimirum in aliis quoque civitatibus servi officia maritima sustinuerunt neque eo magis plebs victorias sibi vindicare dubitavit. — Denique, ut argumentationem tandem ad finem perducam, afferre juvat quae Suidas s. v. Κλέαρχος tradit, Clearcho Euporium, antiquum Heracleotarum tyrannum (τὸν παλαιὸν Ἡρ. τύραννον) in somniis visum esse ipsum inflammare, ut tyrannidem invaderet. Videmus igitur jam multo ante Ol. 104. apud Heracleotas tyrannum ex-

stitisse, de cuius imperio etsi nihil amplius comper-
tum habemus, tamen, si quid ex universa tyranno-
rum apud Graecos historia in hanc rem nostram
conficere licet, id certe probabile est, Euopii illius
tyrannidem non nisi post immutata Doriensium insti-
tuta (Müller. II, 160), h. e. post fractam a plebe,
altiora petenti, oligarchiae formam, locum habere
potuisse. Namque tyranni fere omnes, sive ex ipsis
optimatibus, sive ex multitudine prodierunt, dema-
gogorum personas tuiti ¹⁾ nobilium ditiorumque su-
perbiae adversabantur. Sed non meliorem fortasse
Euopius ille, quam Theagenes apud Megarenses,
exitum habuit. Certe plebs ante Clearchi tempora
justam ex optimatibus victoriam aut nondum reporta-
verat aut, si forte, nescio quo casu dimiserat. —

Ex his omnibus, quae hucusque disputavimus,
probabiliter puto confici: ab altera parte optimates
jam inde a civitatis initiis — nam quae antecessit
democratia adeo brevis erat temporis, ut, quae eam
secuta est, oligarchiam quasi principalem fuisse su-
scipere possimus — tantam tanque stabilem sibi po-
tentiam conciliasse, quam non nisi post multas pro-
cellas civiles ingenti tandem rerum perturbatione
amittere possent; ab altera parte plebem, primum
quidem severa potestate ab optimatibus remotam,
iisque ab initio oppositam, tantis subinde opportuni-
tatis gavisam esse, ut vehementius in dies causam
suam defendere adeoque caput efferre inciperet, ut,
priusquam aequa jura impetrasset, quietura non esse
videretur. Accedit quod optimates ipsi haud semel,
ut videtur, inter sese discordes, litesque serentes,
ansam plebi dederunt ad seditiones movendas, cujus
rei exemplo sunt quae Aristoteles loco IV. narrat,
aliunde parum nota. — Jam igitur et alia veterum scri-
ptorum testimonia afferamus, quibus quae supra de
Heracleotarum reipublicae statu exposuimus et illu-
strentur et confirmentur. Qua in re id maxime do-
lemus, quod locis illis haud certa temporibusque di-

¹⁾ Aristot. Pol. V, c. 4. (5) et 10. Plato Pol. VIII fin.
IX. init.

stineta factorum series exhibetur, sed universe tantum reipublicae, seditionibus usque dilaceratae, facies adumbratur. Ac primum quidem Aristoteles loco II. (Pol. V, 5, 2.) seditionem commemorat, quae a ditioribus civibus iis, qui, cum valde pauci tantum honoribus fungerentur, a magistratibus seclusi, rebus novis studebant, donec ipsi etiam particeps fierent, profecta, reipublicae administrationem πολιτικωτέραν fecit (h. e. politiae, quam Aristoteles ut cinnum ex oligarchiae et democratia, optimam formam appellat, similiorem), translata scilicet a paucioribus potentibus ad sexcentos; e quorum collegio, ut ex senatu quodam majori, legum ferendarum et exsequendarum potestate induto, ceteri magistratus delecti videntur (Hüllmann. l. c. p. 328.). Ceterum de senatorum numero postea mutato vide nos infra. — Magis etiam ad democratiam promotam Heracleotarum oligarchiam Aristotelis locus III. significat (Pol. X, 5, 5.), quo loco τὰ δικασήρια μὴ ἐκ τοῦ πολιτεύματος judicia civilia intelligenda sunt, quae ubi penes plebem erant, multa ibi iis qui rempublicam administrabant, negotia facessiverunt, et, judiciis de causis capitalibus, quae apud Graecos non facile ad plebem transferebantur, arctioribus in dies finibus circumscriptis, mirum quantum momenti fecerunt, ut optimatum imperium coerceretur et labefactaretur¹⁾. Schlosserus quidem (l. c. p. 181.) Aristotelem censet Clearchi aetatem spectasse, quippe qui demagogicis potissimum artificii usus rempublicam everterit. Sed haec causa satis idonea non est, quare Viri Cl. sententiam comprobem. Immo quod Aristoteles tradit, id non solum multo ante Clearchum, verum etiam ante ea accidisse arbitrator, quae Aeneas in Poliorcetico, c. XI. memoriae prodidit, ex quibus intelligitur, plebem ad summum tandem imperium pervenisse, optimates vero, ut priorem imperium recuperarent, insidias illi paravisse, eamque repentina aliqua violentia opprimere studuisse.

¹⁾ Müller. III, 177. Tittmann. l. c. p. 213. Platner, Beiträge p. 60.

Aeneae verba haec sunt: Παραπλησίως δὲ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐν τῷ Πόντῳ οὐσης δημοκρατίας καὶ ἐπιβουλεύοντων τῶν πλουσίων τῷ δήμῳ καὶ μελλόντων ἐπιτίθεσθαι, προηγρόντες οἱ προσάται τοῦ δήμου τὸ μέλλον, οὐσῶν αὐτοῖς τριῶν φυλῶν καὶ τεσσαρῶν ἑκατοσύνων, ἔπεισαν τὸ πλῆθος ἐξήκοντα εἶναι ἑκατοσύνας, ἵνα ἐν ταύταις καὶ εἰς τὰς φυλακὰς καὶ εἰς τὰς ἄλλας λειτουργίας φοιτῶσι οἱ πλούσιοι. Συνέβαινε δὴ ἐνταῦθα διεσκεδασμένους εἶναι τοὺς πλουσίους καὶ ἐν ταῖς ἑκατοσύνῃς ὀλίγους ἑκατόσθι παραγίνεσθαι ἐν πολλοῖς δήμοις. Quo in loco exponendo pluribus commoremur necesse est. Ac primum quidem quos πλουσίους vocat Aeneas, eosdem esse quos Aristoteles I. I. εὐπόρους et, latiore voce, γνωρίμους dicit, vix est quod moneam. Nimirum Heracleae non minus quam apud ceteras civitates, nobiles et divites in temporis decursu in unum quasi corpus coaluerant atque commodorum cura et plebis invidentia continebantur. Deinde οἱ προσάται τοῦ δήμου non dici videntur in universum primores e plebe sive demagogi, sed magistratus quidam, qui ad instar τῶν δημιουργῶν plebis jura defenderent atque tuerentur ¹⁾. Tres denique tribus, in quas civitatem divisam fuisse legimus, eadem putandae sunt, quae in plerisque Doricis civitatibus reperiuntur: Ὑλλεῖς, Πάμφυλοι, Δυμῶνες. Quarum quidem tribuum institutio cum ad Heracleotas haud dubie a Megarensibus colonis propagata sit, ex eo conjecerunt VV. DD. eandem fuisse apud ipsos Megarenses ²⁾ et quod ut apud Heracleotas ita apud Byzantios tres illae tribus in certum quendam numerum centuriarum (ἑκατοσύνων) descriptae erant ³⁾, id Müllero, V. Cl., argumento fuit, eandem divisionem in omnibus Megarensium coloniis existisse, de qua re ipse viderit; nos, quod superest, ad centurias tribuum Heracleoticarum redeamus. Primum numerus earum quaternarius su-

¹⁾ V. Müller III, 241. sq. Wachsmuth. hell. Alterth. Vol. II, 435. De demiurgis Tittmann. Staatsv. p. 358. 367.

²⁾ Boeckh. Expl. Pindar. p. 234. Müller, III, 77. 169.

³⁾ Boeckh. Corp. Inscript. Vol. II. F. 1. p. 129. — Argivos quoque in tribus et centurias descriptos fuisse, Aeneas docet capite eodem ejus partem supra apposui.

spectus est. Casaubonus ad hunc Aeneae locum: »Ridicula, inquit, res est, tres tribus in quattuor centurias fuisse divisas; verum quidem est, *ἐκατόσυν* numero centenario praecise non definiri, sed lectionis obscuritatem ea res non tollit. Corrigendum censeo *καὶ τεσσαράκοντα ἑκατόσυν*. Alioquin poteramus Aeneae verba aliter interpretari, ut singulae trium tribuum in quaternas centurias intelligantur fuisse distinctae. Sic Athenis unaquaeque e quattuor tribubus in tres partes dividebantur, quas ipsi *τριπτύας* et *φρατρίας* aut *ἔθνη* vocabant; ita fuerunt omnino *ἑκατόσυν* duodecim. Sed non fit mihi probabile, ob eam, quae hic narratur, causam priorem centuriarum numerum quintuplo fuisse auctum.« — Quid? Hanc causam satis idoneam non fuisse! Immo vero. Sed nihilo magis tamen sententiam illam defenderim de divisione quadripartita. Eam si Aeneas significare voluerit, nimis certe perplexe locutus est. Itaque nisi mecum pro Δ' legere Λ', h. e. *τετράκοντα* pro *τεσσάρων* mavis, ad quem numerum mirifice quadrant et duplicatus centuriarum numerus 60, et secenarii illi apud Aristotelem et trecenarii apud Polyaeum (Strateg. II, 30, 2.) senatores, deni scilicet, postea vero quini e singulis centuriis lecti: Mülleri suadeo accedas sententiae, qui excidisse iudicat *εἴκοσι*. Nam quod Casaubonus censet, tres tribus in 40 centurias descriptas fuisse, id vel ipsa numerorum ratio dissuadet, ne credamus. Sed idem vir ille ingeniosissimus, Müllerus (III, p. 171.) quomodo etiam de centuriis 54 cogitare potuerit, non intelligo. Quid enim hoc plebi futurum adjumenti fuisse censeamus, cum de 54 centuriis factae 60 essent? Nempe id manifeste agebant tribuni, ut optimates quam possent maxime dissiparent, id quod non nisi centuriarum numero quammaxime augendo assequi poterant. Etenim optimates ad id in certis quibusdam centuriis seorsim a ceteris civibus congregati fuisse putandi sunt. Tribuni vero ubi divites plebi insidiari resciverunt, ut imminens periculum propulsarent, statim auctores fuerunt, ut universa civitas in 60 centurias describeretur, in quas et divites et inferioris ordinis cives promiscue reci-

perentur: qua in re eadem fere usi machina sunt, qua Clisthenes olim apud Athenienses democratiam auxit et amplificavit (Arist. Pol. VI, 4, 11.). Ceterum tribuni apud Heracleotas cum optimatum societatem dissipabant, non magis aequam publicorum munium distributionem quam praesentis periculi declinationem sibi propositam habebant; namque optimates jamjam in eo erant, ut cum peregrino milite, ut videtur¹⁾, plebem adorirentur: at tribunorum astu cautum est, ne in unum congregati reipublicae statum sollicitarent, sed dispersi per suas quisque centurias pauci tribules inter multos agerent. Quamquam plebis opprimendae quem optimates, multiplicatis centuriis, in praesentia tum ad irritum cadere conatum viderunt, eundem postea, at cum maxima totius civitatis calamitate ac prope pernicie, renovare ausi sunt; atque ex rerum illius temporis statu colligi potest, nec penitus eorum potentiam circumspecta tribunorum quam modo exposuimus institutione infractam, neque omnino perfectam fuisse Heracleotarum democratiam. Quin immo, quantum optimates tum rursus emererint, vel numerus senatorum dimidio deminutus prodit. Verum id videbimus, ubi ad alteram historiae Heracleotarum periodum pervenerimus.

Nunc quasi in supplementum accipias paucula quaedam de rerum publicarum apud Heracleotas administratione. Eorum igitur reipublicae formam oligarchiam fuisse diximus; sed dubium non est, quin apud eos, ut in ceteris Doricis civitatibus, summa potestas penes concionem populi fuerit, sed multis illa quidem nominibus circumscripta et impedita. Nam etsi judicia civilia in manibus plebis vel evocatorum ex ea vicariorum fuisse vidimus, tamen id juris non statim ab initio illis concessum fuisse videtur; immo quae ad ampliorem reipublicae procuracionem pertinebant munera, procul dubio ab iis,

¹⁾ V. quae Aeneas cp. XI. init. de Argivis tradit, quibus enarratis: παραπλησίως κ. τ. λ. pergit. —

quos τὸ πολίτευμα constituisse dictum est, administrata sunt. Atque Senatus potissimum ope nimiam plebis potestatem reprimere poterant, quippe qui, si rem spectas, summum usque imperium habuerit; qui tamen quomodo compositus quovis tempore atque constitutus fuerit, silentibus scriptoribus certe definiri non potest. Id tantum compertum habemus, Clearchi tempore non jam sexcentos fuisse senatores, sed trecentos, quorum centeni ex singulis tribubus iique e nobilibus ditioribusque familiis lecti fuisse videntur, quosque verosimile est eodem quo apud ceteras Doricas civitates modo non per annuas vices invicem sibi successisse, sed per omnem vitam munere functos esse, quare facilius fieri potuisse intelligitur, ut ipsius etiam democratiae temporibus majorem optimates quam ipsa plebes obtinerent potestatem. — De tribunis denique praeter ea, quae supra dixi, non habeo certiora proferre. De pluribus vero Heracleotarum magistratibus nihil nobis traditum est. —

Cap. II. Heracleotarum historiae periodus prima, quae civitatis continet fata ante Clearchi tyrannidem.

Heracleotarum reipublicae, utpote quae tantum potentiae splendorisque fastigium attigerit, ut aut me amor negotii suscepti fallat, aut illorum urbs Ponti oculus appellandus sit, quo gravior censenda historia est, eo magis dolendum, quod adeo manca est antiquioris aevi memoria, ut omissa continua aliquarum ab iis gestarum expositione in singulis quibusdam iisque parcissimis veterum scriptorum testimoniis colligendis disponendisque subsistere necesse sit.

1. De Lamachi Atheniensis adversus Heracleotas expeditione. Ol. 89,½. = 423. a. C.

Audiamus hac de re Justinum, XVI, 3., qui postquam Heracleae initia narravit, ita pergit: »Multa

deinde hujus urbis adversus finitimos bella, multa etiam domesticae dissensionis mala fuere. Inter cetera magna vel praecipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienses, victisque Persis, Graeciae et Asiae tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad praesidium salutis suae conferentibus, soli Heraclienses ob amicitiam regum Persicorum collationem abnuerant. Missus itaque ab Atheniensibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum quod negabatur, dum relictis in litore navibus, agros Heraclienses populatur, classem cum majore parte exercitus naufragio repentinae tempestatis amisit. Itaque cum neque mari posset, amissis navibus, neque terra auderet cum parva manu inter tot ferocissimas gentes reverti: Heraclienses honestiorem beneficii quam ultionis occasionem rati, instructos com meatibus auxiliisque dimittunt, bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent. — Eandem Lamachi calamitatem breviter narrat Thucydides (IV, 75. Ol. 89, 1.), qui primus inter veteres eos, quorum libri ad nostra tempora delati sunt, Heracleae mentionem facit: Τοῦ δὲ αὐτοῦ θέρους οἱ τῶν ἀργυρολόγων Ἀθηναίων στρατηγοὶ Δημόδοκος καὶ Ἀρισείδης ὄντες περὶ Ἑλλήσποντον· (ὁ γὰρ τρίτος αὐτῶν Λάμαχος δέκα ναυσὶν ἐς τὸν Πόντον εἰσεπεπλεύκει) — ἀναλαμβάνουσι τὸ χωρίον πάλιν (sc. Antandrum)· καὶ οὐ πολὺ ὕστερον ἐς τὸν Πόντον ἐσπλεύσας Λάμαχος ἐν τῇ Ἡρακλεωτίδι ὁρμήσας ἐς τὸν Κάληκα ποταμὸν ἀπόλλυσι τὰς ναῦς, ὕδατος ἀνωθεν γενομένου, καὶ κατελθόντος αἰφνιδίου τοῦ ρεύματος· αὐτὸς τε καὶ ἡ στρατιὰ πείζη διὰ Βιθυνῶν Θρακῶν, οἳ εἰσι πέραν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἀφικνεῖται ἐς Χαλκηδῶνα τὴν ἐπὶ τῷ σώματι τοῦ Πόντου Μεγαρέων ἀποικίαν. Thucydidem sequitur Diodorus (XII. c. 72. Ol. 89, 2.). —

In hac re praetermitti non debet Heracleotarum in Atheniensium imperium contumacia et pervicacia, quod haud frustra tum ipsum etiam Pontum rationibus suis publicis irretire incepisse, ex eo colligimus, quod Pericles jam viginti ante Lamachi expeditionem annis, Ol. 83, 1., Sinopen, civitatem tum florentissimam, expulso tyranno Timosileo, sexcentis

occupaverat cleruchis (Plut. Pericl. 20.), quodque eodem, ut videtur, tempore Amisum, et ipsam urbem vel imprimis insignem, Athenienses Athenocle duce colonis frequentaverant ¹⁾, eo puto consilio, ut Milesiis, quorum tum vires admodum essent debilitatae, Ponti navigationem eriperent. Sed quanto major Heracleotas inter et Athenienses similtas intercesse- rat, — animadvertas quaeso illorum cum Persis re- gibus amicitiam, — tanto magnificentior Ponticorum certe erga Lamachum liberalitas est; neque posteris temporibus cum ceterae ejus tractus civitates, Chalcedon, Byzantium, Selymbria male vexarentur (Xe- noph. Hell. I, c. 3.), de Heracleotarum quidquam injuria legitur ²⁾.

2. Xenophon cum Graecis e Persia reducibus in Heracleo- tarum agrum exscensionem facit, Ol. 95, 1. = 400. a. C.³⁾.

Xenophon e Persia redux quum innumerabilibus perfunctus periculis ad oram Ponticam cum exercitu pervenisset, Graecas ibi civitates in magnum conje- cit terrorem. Itaque ubi primum ad Cotyora, Sino- pensium coloniam, progressus exercitus est, Sino- penses de finibus suis solliciti omnem vim dicendi exprompserunt, ut Xenophontem ad iter maritimum impellerent, ipsique cum Heracleotis, qui per merca- tores de exercitus adventu deque Xenophontis Pon- ticae orae sub patriae imperium dicionemque sub- jungendae consilio certiores facti erant, navigia mi- litibus subministrarunt, quibus tum ipsi, tum impe- dimenta trajicerentur, atque insuper etiam viaticum

¹⁾ Strabo XII, 547. Appian. Bell. Mithr. VIII, 83. Raoul. Roch. I. c. II, p. 23. seq.

²⁾ Quod Eupolis, apud Schol. Aristoph. ad Nub. v. 350, de Simone, qui tum cum Aristophanes Nubes in certa- men commisit (Ol. 89. 1.) vectigalium custos, aerarium depeculatus est, in Πόλεσιν dicit (editis, ut videtur, ea- dem Olympiade. cf. Meineke Quaest. Scen. I, p. 59): ἐξ Ἡρακλείας ἀργύριον ὑφέλιετο, id ad Heracleam Trachini- am refero, quae colonis instaurata a Lacedaemoniis est Ol. 88, 3. Diod. XII, 59.

³⁾ Krüger ad Xenoph. Anab. p. 559.

polliciti sunt, quod tamen Heracleotae, cum statuisse eos per mare discedere vidissent, recusaverunt¹⁾; Sinopenses vero hospitali benignitate exceptos per mare Heracleam usque devehendos curarunt. Universa deinde classis post duorum dierum navigationem ad Acherusiam peninsulam Heracleae adjacentem appulit²⁾. Quo facto Heracleotae 3000 medimnos frumenti, 2000 amphoras vini, boves 20, oves 100 iis praebuerunt³⁾. Quod donum cum Lyconi Achaeo vix ad trium dierum viaticum suppeditatum videretur, suasit militum ducibus, ut Heracleotis 300 Cyzicenos stateras imperarent; alius vero non minus 10000 Cyzicenos, h. e. stipendium mensuum exigendum esse censuit. Ac frustra Xenophonte et Chirosopho intercedentibus, ne civitati Graecae atque amicae, quae sponte non praebere, vi et impressione extorquerentur; Lycon Achaeus, Callimachus Parrhasius, Agasias Stymphalius legati iniquo negotio transigendo in urbem missi sunt. Qui cum mandata pertulissent atque etiam verba minacia jactassent, Heracleotae deliberandi spatium postulato, statim et quae in agris habuerant et quae veno exercitui posuerant, in urbem reportaverunt; clausisque deinde portis arma in moenibus apparebant. Jam exorta in exercitu seditione, quod scilicet re infecta et civitatis insuper inimicitias susceptis redeundum esset: Xenophon incertus, utrum Arcadibus et Achaeis, qui, postquam sex, ut videtur, dies pro urbe sedit exercitus, novis ex ipsis electis ducibus iter continuare statuerant, se adjungeret, an cum reliquis militibus mari aveheretur, sacrificium fecit Herculi Ductori; qui, ut cum ceteris se conjungeret, suasit. Interea autem Heracleotae, quasi Xenophontis sacrificio Deus, ipsorum urbis conditor et

¹⁾ Xenoph. Anab. L. V. c. 6. praecipue §§. 15. 19 — 21. 26. 31. 35.

²⁾ Ib. VI, 2, 1. sq. (V, 10. ed. Schneid.) coll. Diodor. XIV, 31. sq. Haken, „Xenoph. u. die Zehntaus. II, p. 380. Rennel Illustration. p. 262 — 3.

³⁾ Sinopenses 3000 medimnos frumenti, 1500 ceramiae vini, ac praeterea nihil dederant.

custos, placatus esset, cum exercitu in gratiam rediisse putandi sunt; namque Arcades et Xenophon Heracleoticis navigiis, illi ad Calpes usque portum profecti sunt, hic ad confinium Heracleotarum et Thracobithynorum se contulit, unde pedestri itinere et ipse portum illum petiit, ut reliquis militibus se adjungeret (Anab. VI, 3.). Quo in itinere quum nullo fluvio cum impeditum fuisse legamus, conjicere licet, Heracleotidem tum minimum ad Sangarium flumen pertinuisse, qui, cum nunquam post homines natos pontem subiisset, a Justiniano M. demum junctus est, Procopio teste, de Aedif. V, c. 13. — Atque in ipsa circa Calpes portum regione inter medios barbaros, — qui Graeco nomini et ex antiquis inde temporibus infesti erant, et tum maxime propter indignitates cladesque, quas nuper a Byzantiis et Chalcedoniis perpassi essent (Diod. XII, 82. Ol. 91, 1.), non poterant non esse quam gravissime exasperati, — Heracleotae exercitum Graecorum prosecuti beneficiis sunt ac liberalitate (cf. Anab. VI, 5. init.).

3. De Heracleotarum bellis cum regulis Bosporanorum gestis. —

Jam quae expositurus sum, haud ita multo post Xenophontis expeditionem evenisse videntur. Etenim anno Ol. 96, 4. = 393. a. Chr. Satyrus, Spartoci filius, Bospori Cimmerii regulus, periit in obsidione Theodosiae ¹⁾. Is Leuconem filium per 40 annos (ad Ol. 106, 3. = 354. a. C.) successorem habuit ²⁾, qui, quod patri non contigerat, perfecit. Ad haec circum Theodosiam bella, incertum Satyri an Leuconis, Polyaeus, Strategm. V, 23. respexit, ubi narrat Tynnichum quendam ex Heraclea profectum una tantum corbita unaque trireme, multis vero scaphis et idoneo exercitu instructum per noctem ad-

¹⁾ Harpocration Lex. v. Θεοδοσία. Schol. Demosth. T. II. p. 79. R.

²⁾ Diod. XIV, 93. Cfr. Clinton, Fasti Hellen. Append. XIII. et Boeckh. Corp. Inscript. Vol. II. p. 91. sq. et 96.

navigasse et simulato per repentinum tubarum clangorem magnae classis adventu, Theodosiam obsidione liberavisse. Postea vero urbs, nescimus quo pacto, in Leuconis dicionem venit, cujus regno eam tribuunt Demosthenes (Lept. p. 466; p. 27. ed. F. A. Wolf.) et Strabo, (VII, p. 311.) — Idem Polyaeus aliis duobus locis (VI, 9. §. 3. et 4.) res quasdam a Leucone bello cum Heracleotis gestas narrat, ex quibus intelligitur, Heracleotas permagna classe conflixisse, regem vero non nisi strategmatis quibusdam cavisse, ne sui ipsius trierarchi et milites ad hostem transfugerent. Praeterea Pseudo-Aristoteles in Oeconom. L. II, p. 284., Heracleotarum adversus Bosporanos expeditionem commemorat, in quam missis 40 navibus singulare quoddam machinationis pecuniariae exemplum ediderunt. — Ceterum de horum bellorum causis et eventu, silentibus scriptoribus, certiora proferre non licet. Vero tamen simillimum est, primas eorum flammis excitatas esse mutua quadam invidentia et sollicitudine, ex incrementis profecta Chersonesi, Heracleotarum coloniae, quam et reguli opprimere tentabant, nec patria urbs destituere poterat.

Reliquum est, ut, priusquam ad alteram historiae partem transeamus, de coloniis dicamus Heracleotarum primariis, quas hoc aevo conditas esse exploratum habemus, de Heraclea in Chersoneso Taurica deque Callatide in Moesia sita. Sed de his propter ubertatem materiae satius duxi singularem infra, post rerum Heracleoticarum expositionem, quaestionem instituere. Id tantum moneo, cum cetera quae hoc capite exposuimus, tum illas colonias, in regionibus Scytharum Getarumque inhospitalibus conditas, — sive nimia incolarum frequentia, sive domestica seditio, sive mercaturae amplificandae studium deducendi eas causa fuit, — indicio esse, jam hoc aevo magnas opes magnamque potentiam assecutos fuisse Heracleotas: quae quomodo ad summum tandem fastigium advecta sit, capite proximo exponemus.

Cap. III. Periodus altera, qua continetur historia tyrannorum Heraclaeae. Ol. 104, 1. — 124, 4. (364. — 281. a. Chr.)

Haec, quam nunc descripturus sum, historiae Heraclaeotarum periodus ut summum rerum ferme omnium fastigium atque splendorem, ita jacturam publicae libertatis amplectitur. Quae enim communis est rerum publicarum sors et circuitus, — tum imperandi cupiditate inter optimates, tum plebis, libertatem et licentiam haud distinguentis, effrenato rerum novarum studio, simultates exercebantur et fovebantur, donec optimates perinde ac plebes insidiis irretiti, vique oppressi, tyrannorum imperio subjicerentur. —

1. Clearchus. Ol. $\frac{104,1}{106,4}$ = $\frac{364}{352}$ a. Chr.

Ex iis quae scriptores antiqui de hac rerum conversione tradunt, conjici licet, veteres latifundiorum possessores cum servis suis etiam tum in civitate Heraclaeotarum praevaluisse, atque senatum, τοὺς τρι-
ακοσίους, principatum factionis oligarchicae tenentem, potentiam exercuisse plebi vix ferendam. Namque post Lamachi cladem descriptam Justinus, XVI, 4 1),
narrare

*) Recte animadvertit Heerenius, Vir. Cl., „De Fontibus Justini,” nefandam Clearchi crudelitatem initiaque Heraclaeae per digressionem tam copiose exposuisse Justinum, ut integram potius Trogi Pompeji narrationem, quam ejus epitomen servatam esse probabile sit. Quod vero conjecit idem Heerenius, hunc locum Pompejum ex Theopompo mutuatum esse, ea de re, — id quod libenter nos quoque concedimus, — in utramque partem posse disputari ratus Eyssonius Wichersius, „Theompompi Fragmenta” p. 231 sp., ipse ita disputavit, ut Heerenii sententiam minime refelleret. Accipiat vir doctus contra velim: quod Memnonem Trogi aequalem dicat, id haud ita exploratum esse; de Megarensibus Heraclaeae conditoribus nihil dixisse aut Strabonem aut Theopompum; nec denique eadem omnia Trogum quae Theopompus narraverit, excerptisse putandum esse.
Gravis-

narrare ita pergit: »Passi sunt inter plurima mala etiam tyrannidem; siquidem cum plebs et novas tabulas et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret: diu re in senatu tractata, postremum adversus plebem nimio otio lascivientem auxilia a Timotheo, Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebano petivere. Utrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt. Tanta calamitatum necessitas fuit, ut cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriae revocarent.« — Qua quidem in re non perinde iudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. Videmus plebem tum agrorum divisionem aerisque alieni laxamentum omni vi et impetu tentasse eodem modo, quo ante 200 annos multitudo apud Megareses, unde Heracleotae ipsi maximam partem oriundi sunt, bonis direptis et ἀναδασμόν fecit et nulla fenora acceptae pecuniae dedit, quin etiam quae antea solverat, de integro a divitibus expostulavit, quam rem παλινοτοκίαν nuncuparunt ¹⁾. Ceterum quod et apud Megareses et Leontinos (Thuc. V, 4.) et alias complures civitates — namque frequentissimus est ille ἀναδασμός apud antiquos, perpetuae quippe possessionis contemptores — plebs assecuta erat, in iisdem autem civitatibus plerumque violenta per optimates expulsionem luerat: idem apud Heracleotas quoque moliebatur, eandemque fortasse sortem duxisset cum Leontinis et Megaresibus, ni placuisset fortunae, ut »senatus grassantis in populum« consilia irrita fierent. Namque ubi primo petivit auxilia senatus, repulsam tulit, nec mirum sane in tanta tum omnium per totam Graeciam rerum perturbatione.

Gravissimum certe omnium quae affert Wichersius argumentum est de Theopompo Platonis laudum detractatore. Quae cum ita sint, nihil relinquitur, nisi ut Trogum praeter Theopompum alios quoque rerum Heracleoticarum scriptores, quorum certe penuria non erat, ante oculos habuisse putemus.

¹⁾ Plut. Quaest. Gr 18. Theogn. v. 788, ed. Welckeri, cujus vide sis Proleg. p. 10. et 35. sq.

Timotheus, Atheniensium terrestres ac navales tum copias ducens, in Torone et Potidaea obsidendis occupatus erat, quibus oppidis expugnatis, Cyzicenis obsidione laborantibus succurrit, teste Diodoro, XV, 81. Nec non Epaminondas, qui sub idem ferme tempus ad comparandam classem Byzantium venerat, majoribus tum occupationibus distinebatur, quam ut Heracleotarum tam longinquae civitati auxilia ferre aut vellet aut posset. Itaque senatus, temporibus reipublicae concedere coactus, ad Clearchum decurrit, cujus de vita atque imperio quae veterum scriptorum exstant testimonia jam deinceps exponemus.

Clearchus adolescens, philosophiae, ut ipse dicitur, sitiens, Athenas se contulerat, ubi Platonem audiret. Quocum aliquid temporis cum versatus esset; erat enim Diis invisus, femina ei in somnis visa dicere est: Excede Academia, fuge philosophiam; neque enim tibi fas est ea perfrui, quae in te ut in hominem sibi odiosissimum despiciat. Quibus auditis revertit Clearchus ad exercitum. Haec narrat Suidas v. Κλέαρχος.

Platonis discipulum eumque philosophicae disciplinae haud rudem Clearchum vocat etiam Memnon, idemque quadriennium cum Isocrati operam dedisse tradit (cp. 2); id quod confirmatur ipsius oratoris ad Timotheum, Clearchi filium, Epistola VII. In qua cum Clearchus, antequam tyrannidem invasisset, homo liberalissimus et mansuetissimus et humanissimus fuisse dicatur: equidem conjicio, somnium illud apud Suidam traditum ab iis postea esse confictum, qui Platonicae disciplinae, quam cum deruisset Clearchus immanis factus tyrannus est, honorem vindicare vellent, quasi vero non ex eadem disciplina profecti essent Euagon Lampsacenus, Cheron Pellenensis, Timaeus Cyzicenus, qui omnes tyrannidem apud cives affectarunt, quique Platonis famam non magis obscuraverunt, quam Diones, Phormiones, Aristonymi, Menedemi, viri legibus sribendis incliti, illustraverunt. V. Athen. XI, 508. 509. Sed hoc quasi in praetereundo monui. — Suidas l. l. Clearchum Athenis profectum εἰς τὴν στρατείαν — (conjeci aliquando εἰς τὴν Ἡράκλειαν) — revertisse

tradit ad expeditionem, quam, puto, Heracleotae contra Mithridatem fortasse susceperant. Sed ibi postquam inimicitias sibi contraxit, patria derelicta, cum multa exsilia paterent, ad Mithridatem se contulit, Ponti regem, cujus sub signis militans, laudem bellicam sibi peperit. Interim autem apud Heracleotas turbae civiles ad extrema pervenerant » tan-
taque, ut Justinii verba repetam, calamitatum neces-
sitas fuit, ut cui patriam iuterdixerant, cum ad tu-
telam patriae revocarent.« (Eadem habet Suidas.)
Tum Clearchus apud animum statuisse videtur, cum
damno et Mithridatis regis et civium suorum, tyran-
nidem occupare. Namque » Clearchus, pergit Justi-
nus, exsilio facinorosior redditus et dissensionem
populi occasionem invadendae tyrannidis existimans,
primo tacitus cum Mithridate, civium suorum hoste,
colloquitur et inita societate paciscitur, ut revoca-
tus in patriam, prodita ei urbe, praefectus ejus
constitueretur ¹). Postea autem insidias, quas civi-
bus paraverat, in ipsum Mithridatem verterat. Nam-
que cum velut arbiter civilis discordiae de exsilio
reversus esset, statuto tempore, quo urbem Mithri-
dati traderet, ipsum cum amicis suis cepit, captum-
que accepta ingenti pecunia dimisit ²).« Scilicet Clear-

*) Clearcho Heracleam proficiscenti in somnis antiquum civitatis tyrannum, Euopium nomine, visum esse hor-
tari, ut patriae imperio potiretur, simulque philosophi-
am caveret, tradit Suidas. De ejusmodi somniis quae
mea sit sententia, pag. 66. dixi, de Euopio autem
pag. 52. Hoc loco id tantum monuerim, et a Nym-
phide (Athen. XII. p. 549.) et a Memnone Clearchum
dici Heracleae tyrannum primum: propterea, puto,
quod Euopii tyrannis brevior fuisse videtur, quam quae
plena haberetur.

**) Mithridates rex Ponti hujus nominis primus intelli-
gendus est, quem contra Artaxerxem Memnonem con-
spirasse cum Cyro juniore, eoque occiso Tissaphernis
opera regi reconciliatum, post Clearchi, decem mil-
lium Graecorum ducis, mortem Graecos auxiliares ad
regis partes trahere conatum, tandem in Pontum Artaxerxis
benignitate revertisse, a Xenophonte docemur,
Anab. II, 5, 35; III, 3, 2; 3, 6; 4, 2, 3; VII, 8, 25. Idem
a Phavorino apud Diog. Laert. III. §. 20. Platonis statuam
in Academia collocavisse ita inscriptam dicitur:

chus cum peregrinorum majore quam par erat numero in urbem accitus, primum quidem factionem contrariam, h. e. plebem, sustulerat, teste Aenea Poliorc. 12. Deinde vero summa rerum potitus ut in Mithridate subitum se ex socio facit hostem, sic ex defensore senatoriae causae repente patronus evasit et adversus auctores potentiae suae, a quibus revo-

Μιθριδάτης ὁ Ῥοδοῦντου Πέρσης μούσαις εἰκόνα ἀρέβεται Πλάτωνος, ἢν Σιλανίω ἐποίησε. Qua in re nescio, utrum Vaillantode Regg. Ponti p. 18. adstipuler, barbarum regem scribenti, dum pace frueretur, operam plurimam dedisse philosophiae Platonis, ipsumque unum ex ejus discipulis fuisse: an a Clearcho potius nostro Heracleota eum philosophiae Platonis admiratione et amore adeo fuisse imbutum arbitrer, ut statuam a celeberrimo statuario Atheniensi elaboratam ponendam curaret. (De Ariobarzane, ejus in regno successore, ab Atheniensibus civitate donato v. Demosth. c. Aristocr. p. 388.). Mannerus autem, Geogr. Antiq. VI. P. II. p. 332., quod scribit hunc Mithridatem captum a Clearcho propterea esse, quod ab Artaxerxe rege defecisset, id unde conjecerit vir doctissimus, haud equidem asequi potui. Erat nempe Mithridates dudum regi reconciliatus, et Clearchus captum eum sua manu in libertatem restituit. Nec tamen abhorret a verosimilitudine, Clearchum haud sine consensu et comprobatione Regis et tyrannidem invasisse et Mithridatici regni incrementum repressisse. Nam cum in omnibus ferme Graecorum civitatibus tyrannos a regibus — quoniam, credo, similis simili gaudet — sublevatos esse videmus, tum Clearchum quoque cum Persarum regibus societate quadam conjunctum fuisse, docemur a Memnone, qui hunc tyrannum saepe numero ad Artaxerxem ejusque in imperio successorem Ochum legatos misisse tradit. Accedit quod ex Justino XVI, 3. discimus, Heracleotas inter et reges Persarum jam sexaginta ante Clearchi tyrannidem annis amicitiam fuisse (Vide supra pag. 59.) et quod universa imperii Persici historia testatur, Asiae minoris tractus ab aula regum longinquiores, imprimis vero eos qui Ponto adiacebant, laxissimis semper vinculis Persarum imperio conjunctos fuisse, compluresque eorum satrapas jugum prorsus exuisse (cf. Heeren. Ideen. T. I. p. 194. sq.). Sic quod Mithridates haud semel fortasse molitus erat, perfecit ejus successor Ariobarzanes, Joniae, Lydiae, Phrygiae ad id satrapa, qui Mithridatis demortui regnum potestati suae vindicavit, Ol. 104, 3. (Diodor. XV, c. 90.). — Ad hunc defectorem opprimendum haud dubie Clearchus Artaxerxi ejusque filio Ocho auxilium tulit. —

catus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat ¹⁾ non solum plebem accendit, verum etiam nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem vocato: »neque se adfuturum amplius grassanti in populum senatui, ait, intercessurum etiam, si in pristina saevitia perseveret; quodsi pares se crudelitati senatorum arbitrentur, abiturum cum militibus suis neque civilibus discordiis interfuturum; sin vero diffidant viribus propriis, vindictae se civium non defuturum. Proinde consulant sibi ipsi; jubeant abire se, an malint causae popularis socium remanere?« His verbis sollicitata plebs summum ad eum imperium defert, et dum senatus potentiae irascitur, in servitum se tyrannicae dominationis cum conjugibus et liberis tradit. Igitur Clearchus 60 senatores comprehensos, nam ceteri in fugam delapsi erant, in vincula compingit ²⁾. Lactari plebs, quod a duce

¹⁾ Quos dolos quasque machinas ad libertatem civibus eripiendam commoliti antiquissimi Graeciae tyranni fuerant, eisdem Clearchum quoque movisse videmus, Dionysii quippe Siculi vestigia, teste Diodoro, persecutum. Callidis inventis eo cives perduxit, ut arcem munitam, rem certe tyrannis quam maxime necessariam, sibi concederent. Audiamus Polyaeum, *Strategm. II, 30, §. 1.* Κλέαρχος Ἡρακλεώτης ἀκρόπολιν ἀναστῆσαι βουλόμενος μισθοφόρους συνέταξε λεληθῆτως ἐξείναι νικτὸς, λαποδοτεῖν, ἀρπάζειν, ὑβρίζειν, τιτρώσκειν. Ἀγανακτοῦντες οἱ πολῖται παρεκάλεσαν Κλέαρχον βοηθεῖν, ὃ δὲ οὐκ ἄλλως ἔφη δυνατόν εἶναι τὴν ἀπόνοιαν αὐτῶν κατασχέειν, εἰ μὴ τις αὐτοὺς περιτειχίσκειν. Συγχωρησάντων Ἡρακλεωτῶν, τόπον τῆς πόλεως περιτειχίσας, τὴν ἀκρόπολιν κατασκευάσας οὐκ ἐκείνους ἐκώλυεν, ἀλλ' αὐτῶ τὸ ἐξείναι πάντας ἀδικεῖν παρέσχεν. De satellitibus porro, assiduis potestatis custodibus scelerumque administris, quibus se circumdedit, deque mercenariorum manu, quam sibi comparavit, complures in hac nostra expositione prodibunt loci. —

²⁾ Eadem scilicet qua populum, etiam senatum decepit astutia: quem, pollicitus copiis ex urbe deductis summam se rerum ad eum translaturum, comprehendit crudeliterque tractavit. Cf. Polyaeum, *Strat. II, 30, §. 2.* Κλέαρχος Ἡρακλείας τύραννος ἐλογμοποίησεν ὡς ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος μετὰ τῶν ὁμοφύσων καὶ τῇ βουλῇ τῶν τριακοσίων παραδοῦναι τὰ πράγματα. Οἱ δὲ συνῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον, ὡς ἐπαυεσόμενοι Κλέαρχον καὶ τὴν ἐλευθερίαν ἀποληφόμενοι, ὃ δὲ περιμήσας τῇ βουλευτηρίῳ στρατιᾷ, τῶν τριακοσίων ὑπὸ τοῦ κήρυ-

potissimum senatorum senatus deleteretur versaque vice, auxilium eorum in exitium conversum esset. Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit; siquidem Clearchus magna pecunia, quasi minis populi occulte eos subtracturus, accepta, spoliatos fortunis vita quoque spoliavit. (Cap. V.) Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis qui profugerant, misericordia in auxilium sollicitatis civitatibus, pararetur, servos eorum manumittit ¹⁾ et, ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum filiasque nubere servis suis, proposita recusantibus morte compellit, ut eos sibi fidiore et dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiae graviore repentinis funeribus fuere. Itaque multae se ante nuptias, multae in ipsis nuptiis, occisis prius novis maritis, interficiunt et se tam funestis calami-

κο, ἀνακαλουμένων καὶ ἓνα συλλαβὴν ἐκέλευσε πάντας ἄγειν εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Scilicet πάντας, qui convenerant; permulti enim antea ex urbe dilapsi erant, multos etiam Clearchus, et propter metum et propter avaritiam, spoliatos eosque optimos ac praestantissimos viros eiecerat. V. Isocratis Epist. VII, qua filium Clearchi, Timotheum, cum specie laudationis monet, ut in cives humanissimus esse studeat, quaque docemur. Clearchum magnas divitias coacervasse opumque abundantiam multa violentia et magnis odiis partam filio reliquisse.

¹⁾ Servi h. l. sunt intelligendi optimatium rustici; Mariandyni, quos omnes Clearchus et manumissione facta et, ut connubia mixta essent, ἐπιγαμίᾳ permessa in suas partes traxit Licentia videlicet servorum (ἀνεστὶ δούλων) democratiae et tyrannidi communis; manumissio et arma tyrannidi peculiaria (Arist. Pol. V, 1, 6. VI, 4, 11. Plat. Pol. VIII.). — Ac profecto ad optimatium potestatem funditus tollendam et quaecumque pristini imperii vestigium delendum vix poterant inveniri tela certiora quam quae adhibuit apud Heracleotas Clearchus apud Syracusanos Dionysius I, qui et ipse servos manumissos et civium nomine honoratos (Diodor. XIV, 7.) cum veterum civium filiabus conjunxit (Polyaen. V, 2, 20.) pariter atque Dionysius II, cujus ad imitationem totum se Clearchus composuisse traditur a Diodoro XV, 81, quae Dionis uxorem satelliti cuidam suo nubere coegit. Aelian. V. II, XII, 47. Conf. O. Müller. III, 172. Welcker. Proleg. in Theognid. p. 38. —

tatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Proelium deinde committitur; quo victor tyrannus captivos senatores in triumphi modum per ora civium trahit, Reversus in urbem alios vincit, torquet alios, alios occidit, nullus locus urbis a crudelitate tyranni vacat ¹⁾. Accedit saevitiae insolentia, crudelitati arrogancia. Interdum ex successu continuae felicitatis obliviscitur se hominem; interdum Jovis se filium dicit. Eunti per publicum aurea aquila velut argumentum generis praeferebatur; veste purpurea et cothurnis regum tragicorum et aurea corona utebatur; filium quoque suum Ceraunon vocat, ut Deos non mendaciis tantum, verum etiam nominibus illudat ²⁾. Haec illum facere duo nobilissimi juvenes Chion et Leonides ³⁾ indignantes, patriam liberaturi in necem

¹⁾ Immanem Clearchi in cives suos saevitiam describunt Memnon et Suidas II. II. Truculentissimum facinus narrat Polyaeus Strategm. II, 30, 3. quo, Astacum quasi oppugnaturus, delectos ab anno XII. ad XVI. cives in caniculae aestu, palustribusque locis castra metari jusos ad unum omnes perdidit, interitusque causam pesti assignavit. Idem atroci crudelitate civibus insidiatus aconito est, ut nemo in publicum prodire nisi sumpta ante ruta, auderet. Theopomp. apud Athen. III, 85. a. et Antigonum Caryst. cp. 131. — Ceterum dirae huic vitae humanae contemptioni par erat sollicita ejusdem tyranni cura, qua suae ipsius vitae prospiceret. cfr. Plutarchus, Ad princip. indoct. c. 4. Κλέαρχος δὲ ὁ Ποντικός τύραννος εἰς κίβωτον ἐνδύομενος ὡς περ ἄφης ἐκάθευδε. Namque similes sunt tyranni Aesopi porco, de quo v. Aelian. V. H. X, 5.

²⁾ Haec et similia tyranni vesaniae vestigia exstant apud Memnonem, Suidam II. cc. et Plut. Or. II. de Fort. Alex. —

³⁾ De Chione, Matridis filio, viro magnanimo et necessitudine sanguinis Clearcho devincto (v. Memn.), eodemque Platonis discipulo (v. Suid.), cujus nomine epistolae quaedam circumferuntur, cf. „Hoffmanni Prolegomena in Chionis Epistolas” apud Orellium l. c. p. 129 sq. ex Comment. Societ. Philol., Lips. IV. 234. — Suidas quoque duos philosophos, Leonidem et Antitheum; Memnon autem Leonem et Euxenonem aliosque non paucos in tyranni necem conjuratos commemorat. Heraclidem quoque Ponticum, clarissimum illum philosophum, et ipsum ex Platonis disciplina profectum, hujus

tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philosophi, qui virtutem, ad quam quotidie praeceptis magistri erudiebantur, patriae exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more jurgantium ad tyrannum, veluti ad regem, in arcem contendunt; qui jure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannum, ab altero obruncatur¹⁾; sed et ipsi sociis tardius auxilium ferentibus, a satellitibus obruuntur. Qua re factum est, ut tyrannus quidem occideretur²⁾, sed patria non liberaretur. Nam frater

conjuratorem, cujus 50 Justinus tradit socios, participem fuisse, apud veteres fama erat, cf. Demetrius Magnes apud Diog. Laert. V, 89. Deswert „De Heraclide Pontico“ Dissert. p. 20 — 25, quam recensui in Jahni Anal. Philol. 1832. Decembr.

¹⁾ Paulo aliter, sed ita tamen, ut variarum narrationum contextus possit cogitari, rem narrat Memnon: Clearchum eo ipso tempore sacrum publicum egisse — (ἐβουεν μὲν γὰρ δημοκρατῆς θυσιῶν ὁ τύραννος —), qua occasione usus, conjuratos tyrannum infesto ictu appetivisse. Diodorus vero tradit tyrannum trucidatum esse, cum in Bacchanalibus ludos spectatum iret, XVI, c. 36. — Pseudo-Chion, Epist. XVII. haec habet: μέλλω τοῖς Διονυσίοις ἐπιτίθεσθαι τῷ τυράννῳ, πολιτευσάμενος ἐκ πολλοῦ ἀνύποπτος αὐτῷ γενέσθαι πέμπεται δὲ ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ πομπῇ τῷ Διονυσίῳ καὶ δοκεῖ ὀλίγω ῥότερον εἶχειν δι' αὐτὴν τὰ τῶν δόρου φόρων. Quae quidem quin ex historicis fontibus sint hausta, nemo erit qui in dubium devocet. Ex iisdem fluxisse mihi videntur, quae Ep. 13. traduntur, Clearchum non tantopere metuisse Silenum, qui castellum quoddam occupasset, quantum cultores sapientia. Illum qui oppugnarent, mississe neminem: ipsi autem Chioni insidiatum esse per Thracem quendam unum ex suis satellitibus. De hoc Sileni conatu apud veteres quidem scriptores nihil traditum est. Sed quae hoc loco leguntur, ea ne ad fabulas a Pseudo-Chione crebro fictas referamus, quum eo prohibemur, quod nulla fuit auctori ratio probabilis, quae ad haec fingenda eum impelleret, tum eo, quod Memnon Clearchum tradit insidias permultas propter immanitatem suam sibi structas effugisse.

²⁾ Memnon addit, tyrannum, postquam letale vulnus accepisset, inter multos et saevissimos dolores pavoresque a spectris incussos altero post die mortem occubuisse, cum annos exegisset in vita 58, et 12 tyrannidem occupatam tenuisset. Seculi autem, a Memnone vel potius ab ejus Excerptore non nisi per Artaxerxis et Ochi com-

Clearchi Satyrus eadem via tyrannidem invadit, multisque annis per gradus successionis Heraclienses regnum tyrannorum fuere. —

Etenim haec tyrannis hereditaria, quae, si diuturnitatem antiquarum tyrannidum spectas, primum post centenariam Orthagorae ejusque successorum apud Sicyonios, locum obtinet ¹⁾, — apud Heraclaeotas pariter atque in ceteris Graecorum civitatibus non jure sed violentia erat fundata (Tittm. Darstell. griech. St. p. 530.), et quae Heraclaeotae ab initio, sub Clearcho et Satyro, tolerare coacti erant, eadem postea, vexationibus consueti, eo magis ferebant, cum, ut priores illi tyranni immanes omnino libertatis oppressores, ita posteriores, res dissociabiles miscentes principatum et libertatem, benigni essent et clementes salutis publicae adjutores.

Ceterum quae de Clearchi patrisque ejus immanitate veteres referunt, etiamsi libenter equidem concesserim, de antiquissimis tyrannis permultas esse confictas fabellas (v. Wachsm. l. c. II. p. 284. sq.): ea tamen non video cur in dubium devocentur. Etenim antiquissimi illi tyranni ut plebis potissimum auxilio atque praesidio ad summam rerum provecti erant, ita plebis plerique fautores se praebuerunt. Contra ea posterioribus temporibus, cum Graecae

memorationem significati, notatio accuratior ex Diodoro suppleri potest, XV., c. 81, ad Ol 10⁴, 1. = 36⁴. a. Chr. Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Κλέαρχος, τὸ γένος ἂν ἐξ Ἡρακλείας τῆς ἐν Πόντῳ, ἐπέθετο τυραννίδι. Κρατήσας δὲ τῆς ἐπιβολῆς, ἐξήλωσε μὲν τὴν Διονυσίαν τοῦ Συρακουσίου τυράννου διαγωγὴν, τυραννεύσας δὲ τῶν Ἡρακλειωτῶν ἐπιφανῶς, ἤρξεν ἔτη δ' ἄδ εκ α. Idem XVI, c. 36. Κλέαρχος δὲ ὁ Ἡρ. τυρ. Διονυσίαν ἄντων ἐπὶ θέαν βαδίζων ἀνέρεθη, ἄρξας ἔτη δ' ἄδ εκ α.

Quod superest, tyrannicidas Memnon testatur partim a satellitibus (ὅπῳ τῶν σωματοφυλάκων) e vestigio decisos, partim aliquanto post captos et atrocibus suppliciis, — quae fortiter tolerassent, — afflictos occubisse. Vel ex eo conjici poterat, Heraclidem Ponticum inter tyrannicidas non fuisse.

¹⁾ Sicyoniorum tyrannis 100 annorum fuit; Heraclaeotarum 76; Corinthiorum 73¹/₂; Atheniensium 35; Syracusanorum 18; ceterae tyrannides hereditariae ne ad annum quidem 18. pervenerunt.

civitates fere omnes populare Imperium aut jam fundatum haberent aut omni studio peterent, tum tyranni, dissensionibus civilibus armatisque mercenariorum catervis, haud raro etiam regum vicinorum subsidiis proveci et protecti, postquam optimates oppresserunt, — quae res una erat recentioribus cum antiquissimis tyrannis communis, — plebi haud certe injuria diffidentes, per solam imperii duritiam et saevitiam stare potuerunt. —

Sed ne in suspicionem iniquitatis cadam, quasi deteriorem tantummodo Clearchi imperii partem illustraverim: praeterquam quod, caput factus totius rei-publicae, trecenticipiti senatui principatum eripuit importunissimum, id quoque cum multis aliis, antiquioribus maxime, tyrannis commune cum habuisse non reticebo, quod, teste Memnone, bibliothecam comparavit *πρὸ τῶν ἄλλων οὗς ἡ τυραννὶς ἀπέδειξεν ὀνομάζεσθαι* ¹⁾. Quamquam non magis Clearchus quam ceteri tyranni bibliothecas suas ad communem usum civium instituisse putandi sunt; neque enim illius actus indoles, neque sollicita tyrannorum suspicio liberam artium litterarumque culturam sustinuit. Favebant illi quidem artibus, nec tamen ad civium ingenia ad elegantioris humanitatis excellentiam provehenda, sed ut animos voluptatibus occupatos atque diffusos a rerum acerbarum cogitatione revocarent. —

In hac autem Heracleotarum tyrannide hereditaria non minus quam in ceteris quae eam secuta sunt temporibus delineandis prope unius Memnonis auctoritate nitimur: hunc jam in continuandis Heracle-

¹⁾ Illud *πρὸ τῶν ἄλλων* non de tempore intellexerim, quasi haec laude Clearchum alios tyrannos illustres antegressum esse Memnon nescio quo errore scripserit (con-gesserant jam Polycrates et Pisistratus bibliothecas. Athen. I. p. 3. a. Gellius N. A. VI, 17. Isidor. Orig. VIII, 3.) sed illud *πρὸ* praecellentiam et magnificentiam spectare mihi videtur. quae significatio alias quoque huic praepositioni inest. cf. Plat. Menex. extr.; Matthiae, Griech. Gramm. T. II. §. 575.

otarium historiis sequemur, adjectis aliorum scriptorum testimoniis, quae ad accuratorem et pleniorum illorum temporum descriptionem momenti aliquid afferant.

2. Satyrus. Ol. $\frac{106}{07,3} = \frac{352}{347}$ a. Chr.

Satyrus, Clearchi frater, ejusque filiorum Timothei et Dionysii curator relictus, imperium suscepit ita, ut reapse quidem, nec tamen suo, sed Timothei nomine Heraeclae praeesset, unde factum esse videtur, ut Diodorus, XVI, c. 36. Clearcho non sufficeret Satyrum, sed Timotheum, scribens (ad Ol. 106, 4.) *Κλέαρχος — — ἀνηρέθη ἀρχῆς ἔτη ιβ', τὴν δὲ ἀρχὴν διαδεξάμενος ὁ υἱὸς Τιμόθεος ἤρξεν ἔτη πεντεκαίδεκα.* Cfr. Wesseling. quem sequitur Orellius ad Memn. c. 2. — Justinus quidem enarratis iis, quibus supra quasi staminibus Clearchi tyrannidis historias aliunde petitas tanquam subteguina quaedam adnexuimus, filium historiae Heraeclotarum praecidit. Trogus autem Pompejus, ut ex Prologo Libri XVI. apparet, ceterorum quoque tyrannorum mentionem injecerat. Locus malo corruptus hic est: »Repetitae inde Bithyniae et Heraecloticae origines, tyrannique Heraclae Clearchus et Satyrus et Dionysius, quorum (lege: cujus) filii interfectis Lysimachus occupavit urbem«. — De Satyro autem audiamus Memnonem, cp. 3. —

»In exercendo imperio non Clearchum modo, verum cunctos etiam tyrannos crudelitate superavit. Neque enim de insidiatoribus fratris tantum vindictam sumpsit, sed etiam in liberos eorum, qui rei perpetratae conscii non essent, non minus saevit; atque ita a multis insontibus maleficiorum poenas exegit. Fuit autem omnis doctrinae philosophicae artiumque ingenuarum omnino expers, ingenio tantum ad saevitiam propenso. Nec voluntas ei erat humani quidquam et moderati discendi, neque a natura indita facultas; sed per omnia erat pessimus, etiamsi tempus ipsum infringebat hominem, ut civilis tandem sanguinis et caedis cum satietas caperet.

Amoris tamen fraterni primas tulit. Nam ut dominatum nepotibus ex fratre integrum ab injuriis conservaret, adeo illorum rationem habuit, ut licet conjugali uxoris, quam unice amabat, consuetudine uteretur, liberos tamen ex ea procreare nollet, sed omni arte hanc orbitatis tamquam poenam sibi irrogaret, ne quem omnino insidiatorem nepotibus relinqueret. Itaque superstes adhuc, sed senio gravatus Timotheo, majori natu, rerum summam tradit nec multo tempore post insanabilis et foetidissimi morbi (καρκινώματος) vi et acerbitate consumptus fatis debitum exsolvit, postquam 65 in vita, in tyrannide 7 annos complevit¹⁾.«

3. Timotheus. Ol. $\frac{107}{110} \cdot \frac{3}{3}$ = $\frac{345}{338}$: a. Chr.

Timotheus, qui post Satyri patris mortem imperium adeptus est, ut pater Clearchus discipulus, ita ipse Isocratis amicus carissimus fuit, teste ipso oratore Epist. VII. 2). Audiamus jam Memnonem,

¹⁾ Memnon Satyri morbum ita describit, ut vix suspicione abstineas, tyrannum id quod se nolle simulavit, non potuisse: καὶ μετὰ χρόνον οὐ πολὺν ἀνάτω πάθει καὶ χαλεπότητι συσχεθεὶς καρκινώμα γὰρ μεταξύ βουβώνος τε καὶ ἐσχίου ἀποφύει, τὴν νομὴν πρὸς τὰ ἔνδοι ἐπεδίδου πικρότερον ἐξ οὗ ἰσχυρὲς ἀποσπομβείσης τῆς σαρκὸς ἐξέρχεται βαρὺ καὶ δύσσοποι πένεσσα κτλ.

Ceterum Orellius miro quodam errore obcaecatus de hoc Satyro conferri jubet Isocratis orationem Trapeziticam, pro adolescente quodam ex Satyri regno oriundo scriptam, qui ex Ponto Athenas profectus, a Pasione argentario magna pecunia, quam ejus mensae crediderat, fraudatus est. Sed hunc Satyrum non esse nostrum Heracleotam, vel ex eo conjicere poterat Orellius, quod in ipsa oratione adolescens ille sororem suam dicit Satyri filio desponsam esse (p. 359); et quod Pasio ille mortem obiit Ol. 102, 3. — Ne sim multus in re satis expedita: Satyrus I. intelligendus rex Bospori est, quem Ol. 96, 4. obiisse jam supra L. II. c. 2. §. 3. diximus. Neque apud Dinarchum c. Demosth. p. 34. Satyrus Heracleota intelligi debet, quod fuisse video qui putarent. Cf. Boeckh. Corp. Inscr. Vol. II F. I p. 91. 92.

²⁾ Hac in re omitti non potest, quod Wachsmuthius, hell. Alterth. Vol. II. p. 35f. docet, Clearchum tyrannum ab

cp. 4. « Timotheus in eo plane dissimilis erat patri, quod imperium ita ad moderatiorem et quam potuit maxime popularem statum reduxit (τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὸ πρῶτερον καὶ δημοκρατικώτατον μετερῶύθη(εν)), ut non ultra tyrannus, sed Εὐεργέτης καὶ Σωτὴρ ob praeclare facta nuncuparetur. Nam de suo nomina creditoribus expedit et inopia laborantibus sine fenore ad negotiationes et alios vitae usus pecunias suppeditavit, nec modo insontes, sed etiam veris criminibus obnoxios carceribus exsolvit. Iudex quidem accuratus et severus, ceteroqui tamen humanus et benignus; in rebus fidei suae credendis minime suspectus. Idcirco et fratrem Dionysium cum in aliis paterno amore et studio amplexus est, tum statim imperii consortem adscivit et successorem sibi destinavit. Sed enimvero bellicus alacri et qui virum decet animo ferebatur ¹⁾. Magno enim spiritu et

Atheniensibus civitate fuisse donatum, teste Demosthene, Orat. adv. Lept. p. 482. 27. Καὶ πάλιν Τιμοθέω δίδοντας τὴν δημοσίαν, δι' ἐκείνον ἔδωκατε καὶ Κλεάρχῳ καὶ τισὶ ἄλλοις πολιτείαν. — Reiskius (Indic. Histor.), hunc Clearchum nostrum esse suspicatur. Fr. A. Wolfius homine aliunde ignoto nec ulla re hic nobis notato conjectura abstinendum censet. Sed consideranti mihi, Clearchum nostrum per Isocratem potissimum, quem Athenis quadriennium audivit, cujusque amicitia, patri quidem tyranno facto recusata, in filium postea translata est, cum Timotheo Atheniensium duce clarissimo, quem Heracleotae aliquando eandem ob causam, quam ipsum postea Clearchum, auxilio vocaverant, consuetudine jungi potuisse, atque Atheniensibus fortasse, quorum cum Heracleotis commercii reperiuntur nonnulla quaedam vestigia, sicuti Bospori reges, Satyrum et Leuconem, opitulatum esse: haud sane improbabilis videtur Reiskii conjectura. Neque impedimento Atheniensium religio est, qua in civitatem peregrinos adscribere dubitaverint: susceperunt etiam Leuconem Bosporanum, Dionysium Syracusanum, Euagoram Salaminium, alios. —

¹⁾ Quibusnam bellis hanc suam virtutem praestiterit, nusquam legimus scriptum. Sed ex more tyrannorum usitato atque illo quidem necessario, quo otium sibi periculosum rati, ut cives laboribus occuparent atque distinerent, in expeditiones eos educere solebant, facile conjeceris, Clearchum quoque et Satyrum multa Heracleotis bella conflavisse, quae Timotheus, nisi et ipse nova

generoso corporis et animi robore erat praeditus. Quin et ad controversias bellorum dirimendas et componendas aequum bonumque se praebat nec difficilem. Ad perspicendum res idoneus et ad exsequendum bene consideratas strenuus. Ingenio et moribus clemens, misericors, beneficus. In periculis quidem adeundis ferox: sed in cetera vita perquam humanus et comis. Ideo quamdiu salva ei vita mansit, hostibus quammaxime formidabilem, sed civibus suavem et mitem sese praestitit. Hinc accidit, ut ad vitae exitum vocatus ingens sui desiderium faceret reliquum et parem desiderio luctum excitaret. Germanus autem ejus Dionysius magnificis cadaver sumptibus rogo tradit et e suis fratri palpebris lacrimas quasi libans effundit, et ex propriis visceribus ei gemitus impendit. Ludos etiam equestres et praeter hos gymnicos et thymelicos et scenicos, alios statim, alios postea, qui magnificentiores essent, peregit. Haec leguntur Memnonis ex LL. IX. et X. excerpta a Photio cp. 1 — 4. Quod superest: annos Timothei, quos aut Memnon notare aut Photius describere omisit, ex Diodoro supplere possumus, qui L. XVI. c. 36. et 88. illum per 15 annos imperium tenuisse testatur, scilicet post Satyri obitum per annos octo, ad Ol. 110, 3.

4. Dionysius, Ol. $\frac{110,3}{118,3}$ = $\frac{338}{306}$ a. Chr.

Memn. c. 5.). Dionysius, alter Clearchi filius, primus imperii fines propagasse opesque auxisse finitimum bellis traditur. »Alexander enim Persis ad Granicum profligatis securam amplificandi ditiones suas occasionem patefecerat iis, qui vellent, cum,

aliqua incepit, id quod, cum magnus ille exsulatus numerus reditum usque affectantium vicinas civitates contra tyrannos concitarent, vitari vix quitum est, — saltem aut continuare debebat aut conficere. V. Arist. Pol. V. 9, 5. ἔστι δὲ πολεμοποιὸς ὁ τύραννος, ὅπως ἀσχολαὶ τε ὡς καὶ ἡγεμόνος ἐν χρεῖα διατελώσιν ὄντες. Cfr. Plat. Rep. VIII, 566. extr.

quae hactenus impedimento fuerat, Persarum potentia labefactaretur. Sed varias deinceps fortunae vires expertus Dionysius est, maxime cum Heraclaeae exsules missitandis ad Alexandrum ¹⁾ legatis, jam haud dubie Asia potitum, de reditu et patria republicae administratione sollicitarent (καὶ κάθοδον καὶ τὴν τῆς πόλεως πατριὸν δημοκρατίαν ἐξαυτούμενοι). Quare non multum abfuit, quin excidisset imperio, et excidisset sane, nisi prudentia et sagacitate mentis et studiis civium et suis erga Cleopatram ²⁾ obsequiis bella cum minis sibi denunciata effugisset, dum qua cedit iramque mitigat et dilationibus coercet, qua etiam se munit et contra praeparat.

At postea quam Alexander, dum Babylone agit, vitae cursum absolvit ³⁾, quam primum accepit nuntium Dionysius, Lactitiae statuam (Εὐθυμίας ἀγάλμα) consecravit, et ad primum famae adventum eo affectus est modo, exuberanti gaudio, quo repentina hominem consternatio affecerit. Nam prope erat, ut vertigine correptus prolaberetur et a sana mente conspiceretur alienus. Hinc ubi Perdicca summi imperii negotia procurabat, Heraclaeae exsules ad petita ab Alexandro etiam hunc instigarunt. Dionysius igitur eodem utens compendio, quamvis in acie nova-

¹⁾ Alexander M. ipse cum Persas in orientales terras persequeretur, in Paphlagoniam vel Pontum nunquam venerat; missos inde ad se legatos Phrygiae satrapis obedire iussit. Arrian. II, 4.

²⁾ Cleopatra unica Alexandri M. ex utroque parente soror, plurimum apud illum potuisse putanda est. Post mariti Alexandri Epirotae mortem ob generis nobilitatem a praestantissimo quoque Alexandri M. ducum, a Perdicca, Cassandro, Lysimacho, Ptolemaeo, Antigono ambita, Ol. 118, 1. necata ab Antigono est, dum Sardibus in Aegyptum tentat. Diod. XX, 31. — Cfr. XVIII. 23—37. Justin. 13, 6; 14, 1.

³⁾ Ol. 114, 1. = 323, a. C., mense Junio, archonte Hegesia. V. Ideler, Chronol. T. I, p. 407. Paulo ante Alexander exsules omnium Graecarum civitatum restitui jusserat idque negotii Antipatro mandaverat, litteris ad Olympiorum conventum missis, quae leguntur apud Diod. 18, 8.

culae prope consisteret, pericula tamen complura sibi intentata devitavit ¹⁾; verum Perdicca, quod improbe se gereret, ab iis quibus praeerat, interimitur, et simul fervida illa spes exsulum exstinguitur. Proinde res Dionysio in statum feliciorum convertuntur. Ad felicitatem vero plurimum ei attulit momenti secundum matrimonium. Amastrim enim duxit, filiam Oxathrae ²⁾. Frater is erat Darii, quem Alexander imperio exiit, cujusque filium Statiram uxorem sibi adjunxit. Patruelles igitur erant haec feminae, eximio inter se devinctae amore, qui a communi educatione et convictu in animis ipsarum radices egerat. Amastrim hanc Alexander, cum Statiram fecisset uxorem, Cratero, qui inter carissimos ei fuit, nuptum dederat (Arrian. VII, 4.). Sed cum, Alexandro rebus mortalium prope exempto, Craterus ad Philam, Antipatro natam, animum adjiceret, Amastris, desertore non invito, domum a Dionysio ducitur ³⁾. Ex quo ad magnum ei augmentum dominatus sese extulit, tum opum e recentibus nuptiis accessione, tum ipsius etiam principis studio et magnificentia (ἰδ. ᾱ φιλοκαλίᾳ). Nam et Dionysii, qui Siciliae tyrannum egerat, omnem ei suppellectilem facultas emendi contigit, quando de imperio actum fuit

¹⁾ Perdicca imperium Macedonicum affectans, totam Asiam minorem sibi subicere studebat jamque magnas duas Pisidiae urbes, quae quippe imperium recusassent, deleverat. Diod. 18. 23. Mannert. Gesch. der Nachf. Alex. p. 25. — Occisus est Ol. 114, 3. = aestate anni 321. a. Chr. — V. Clinton Fast. Hell. ad hunc annum. — Diodor. 18, 37. Plut. Eumen. 8.

²⁾ Variant veteres in hujus mulieris ejusque patris nominibus scribendis: Ἀμαστρί, Ἀμάσση et Ὀξάθρου apud Memnonem legitur: Ἀμαστρίη et Ὀξάθρου apud Arrian. VII, 4: apud alios Ἀμίστρι, Ἀμίτρι, Ὀξάνθρου. Cfr. Wesseling. ad Diod. XX, 109. et Orellium ad Memn. cp. 4. — Nummorum auctoritate sola scriptura Ἀμαστρί comprobatur. Nomen est Persicum, a Graecis varie immutatur.

³⁾ Craterus obiit Ol. 114, 3. = 321. a. Chr., Philocle archonte (Diod. XVIII, 30.), duobus annis post Alexandri mortem completis. Ponendae igitur Dionysii nuptiae circa Ol. 114, 2. —

fuit ¹⁾. Nec vero his tantum roborabatur ei potestas, sed etiam eo quod prospero successu et favore civium utebatur et imperium usurpabat in multos antea non subjectos. Antigono etiam, jam Asiam tenenti, splendidas suppetias tulit, quando Cyprum oppugnavit, et Ptolemaeum, illius fratre natam ²⁾, cui Hellespontum satrapiam commiserat, quasi

- ¹⁾ Dionysius tyrannus Siculus jam Ol. 109, 2. = 343. a. Chr. deposito imperio receptoque privato instrumento, Corinthum in exsilium se contulerat, ubi dissoluta vita ad summam inopiam redactus est. Diodor. XVI, 70, Justin. XXI, 5.
- ²⁾ De hoc Ptolemaeo, cujus et Ptolemaei Lagi personas hic illic apud recentiores confusas video, cfr. Diodor. XIX, 57. 60. 62. 68. 75. 78. 87. XX, 19, 21. 23. Ejus ad res difficillimas quasque gerendas operam patruus Antigonus in bello cum Ptolemaeo Lagi, Lysimacho, Seleuco, Cassandro adhibuit; is, Amisi obsidione soluta, Cappadociam satrapiam Cassandro eripit, unde per Bithyniam ducens, Zipoetam regem oppugnatione Astaci et Chalcedonis absistere cogit, initaque cum urbibus et rege societate Joniam et Lydiam occupat, Ol. 116, 2.: Cassandri in Caria exercitum ad deditionem adigit Ol. 116, 3; Jasum urbem occupat Ol. 116, 4; Peloponnesum liberat 117, 1. Postea, quod meritis honoribus non afficeretur, fidem Antigoni deserit, societatem cum Cassandro init, Ol. 117, 3., relicto in Hellesponti Satrapia Phoenice procuratore. Denique a Ptolemaeo Lagi accessitus, cum insidiarum suspicionem movisset, cicutam bibere coactus est, Ol. 117, 4. — Haud parvam igitur Memnon sistit attentis difficultatem. Nam cum Dionysium non prius, quam quum aliis rebus tum illius filiae conjugio ad magnam elatus gloriam esset, regis nomen adsumpsisse scribat, id vero ille vix ante Ol. 118, 2. audere potuerit: intelligenda ea Cypri oppugnatione videtur, quae facta anno eodem est (Diodor. XX, 47. sq.); eamque intellexit Orellius. At tum Ptolemaeus noster jam discesserat. Itaque nisi vel anachronismum apud ipsum Memnonem vel rerum confusionem in Phociae Excerptis suspicari mavis, nihil relinquitur quam ut priorem aliquam Cypri oppugnationem agnoscamus. Et enimvero jam inde ab Ol. 115, 2. Antigonus et Ptolemaeus Lagi de insulae possessione certabant, Diodoro teste XIX, 57. 59. 62. ubi ex Hellesponto et Rhodo 40 naves a Themisone, aliasque itidem 80 ex Hellesponto et Rhodo a Dioscoride, et ipso Antigoni ex fratre nepote, ad Antigonom adductas legimus.

praemium studii sui apud Antigonum invenit, ut generum illum haberet, filia quam ex priorē suscepserat conjugio, in matrimonium ei elocata. Itaque ad magnam elatus gloriam tyranni nomen dedignatur et regis assumit¹⁾. Jamque metu et curis liberatus cum in quotidianis vitam deliciis ageret, in crassam corporis molem excrevit, pinguedine supra naturae modum adauctus. Unde evenit, ut non modo negligenter regnum administraret, sed etiam somno oppressus, aciculis licet oblongis in corpore fixis, — id enim solum veterni et stuporis supererat remedium, — vix tamen a soporis gravedine excitaretur²⁾.

¹⁾ Regis nomen antiquissimi tyranni, quasi τοῦ δήμου πατέρες, priscorum regum memoriam servaturi, frequentius assumpserunt, quam recentiores; cf. Wachsm. hell. Alt. Vol. I, 283. II, 317. — Exemplum secutus τῶν διαδόχων, Antigoni, Lysimachi, Seleuci, Ptolemai (Diod. XX, 53), regium nomen sibi addidit Agathocles tyrannus Siculus eodem anno, Ol. 118, 2. (ibid. 55). Et Dionysius eo minus dubitabat idem facere, cum et per Amastrim regiam uxorem cum Alexandri M. domo, et per filiam Ptolemaeo nuptam Antigoni familiae affinitate conjunctus esset.

²⁾ De Dionysii obesitate v. Athen. XII. p. 549. sq. Νύμφις γοῦν ὁ Ἡρακλεΐτης ἐν τῶν δευτέρῳ περὶ Ἡρακλείας ἠΔιοσύσιος, φησὶν, ὁ Κλεάρχου τοῦ πρώτου τυραννήσαντος ἐν Ἡρακλείᾳ υἱὸς καὶ αὐτὸς τῆς πατρίδος τυραννήσας, ὑπὸ τρυφῆς καὶ τῆς καθ' ἡμέραν ἀδδηφαγίας ἔλαβεν ὑπερσαρκήσας ὥστε διὰ τὸ πάχος ἐν δυσπνοιᾷ αὐτὸν συσχεθῆναι καὶ πνιγμῶν διὸ συνέταξαν οἱ ἰατροὶ κατασκευάσαι βελονὰς πεπτάς τῷ μήκει διαφερούσας, αἷς διὰ τῶν πλεωρῶν καὶ τῆς κοιλίας διαθεῖν, ὅταν εἰς ὑπνον τύχῃ βαρύτερον ἐμπεσῶν. Μέχρι μὲν οὖν τινος ὑπὸ τῆς πεπραμένης ἐκ τοῦ γέατος σαρκὸς, οὐκ ἐνεποιεῖ τὴν αἰσθησιν, εἰ δὲ πρὸς καθαρὸν τόπον ἢ βελονῇ διελθοῦσα ἔδιγε, τότε διεγείρετο. Τοὺς δὲ χρηματισμοὺς ἐποιεῖτο τοῖς βουλομένοις προτιθέμενος κιβωτῶν τοῦ σώματος, ἵνα τα μὲν λοιπὰ μέρη κρῖπτῃ, τὸ δὲ πρόσωπον μόνον ὑπὲρέχον διαλέγοιτο τοῖς ἀπαντήσασιν. Μνημονεύει δ' αὐτοῦ (haec Athenaei sunt verba) καὶ Μένανδρος, ἠκιστὰ γὰρ Λαΐδαρος, ἐν τοῖς Ἀλκίμοις τὸν μῦθον ὑποστισάμενος ὑπὲρ τινῶν φυγάδων ἐξ Ἡρακλείας Πάχυν γὰρ ὅς ἐκειτ' ἐπὶ σόμα καὶ πάλιν Ἐτρύφησεν, ὥστε μὴ πολὺν τρυφῶν χρόνον. καὶ ἔτι

Ἴδιον ἐπιθυμοῦντι μόνος μοι θάνατος οὗτος φαίνεται

Εὐθάνατος, ἔχοντα πολλὴν τὴν χολάδα κείσθαι παχύν

Καὶ μόλις καλοῦντα καὶ τὸ πνεῦμ' ἔχοντα πᾶν ἄνω,

Ἐσθίοντα καὶ λέγοντα, σήπομ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.

Ἡ Ἀπέθανε δὲ βιώσας ἔτη πέντε πρὸς τοῖς πενήκοντα, ὧν ἑτηράν-

Tribus autem ex Amastri liberis sibi procreatis, Cle-
 archo, Oxathre et filia ejusdem cum matre nominis,
 jam morti propinquus uxori administrationem cun-
 ctam, liberorum, qui ad id tenerae admodum aeta-
 tis erant, tutelam, adjunctis quibusdam aliis, reli-
 quit, cum vixisset annos 55, in imperio autem con-
 spicuus fuisset 30. 1). In quo se mitissimum gessit,
 ut cognomeu **Benigni**, *Χρησῶ* 2), ex moribus re-
 ferret, magnumque civibus desiderium et luctum
 post se reliquit.

5. Clearchus II. et Oxathres.

Ol. $\frac{118,3}{123,1} = \frac{306}{288}$: a. Chr.

(Memnon. c. 5 — 7.) »Nihilo tamen minus post
 Dionysii a mortalibus discessum res civitatis in se-
 cundo fortunae cursu permanebant, Antigono fi-
 liorum Dionysii et civium non obiter curam gerente.
 Qui ubi ad alia studium avertit, **Lysimachus** in
 accuratorem Heracleotarum et puerorum successit.« —

ἦσε τρία καὶ τριάκοντα, ἀπάντων τῶν πρὸ αὐτοῦ τυράννων πραΰτητι
 καὶ ἐπιεικείᾳ διενησχόω. Ex ejusdem Nymphidis historiis
 Aelianus videtur prompsisse quae, iisdem crebro verbis,
 narrat Var. Hist. IX, 13. Περὶ Διονυσίου ἀδδηφαγίας καὶ πα-
 χύτητος. Unde id quoque apparet, de cista, qua se in-
 clusisse Dionysius dicitur, alios alia tradidisse. — Ex-
 stant praeterea de sera hominis incontinentia et abdo-
 mine elegantia duo veterum epigrammata in Analect.
 Brunck. T. II. p. 72 et 434., quorum quod Palladas
 tribuitur, hic apponam:

Οὐ ποιεῖ θάνατον μόνον ἢ φθίσις ἀλλὰ τὸν αὐτὸν

Καὶ πολλὴ παχύτης πόλλαις εἰργάσατο,

Τοῦ δ' ὁ τυραννίσσας Διονύσιος Ἡρακλείας

Τῆς ἐν Πόντῳ μαρτύς ὁ τοῦτο παθὼν.

1) Nymphis cum apud Athen. I. I. 33 annos Dionysio tri-
 buat, Diodorum potius, 32 annos scribentem, (XX, 77.
 ad Ol. 118, 3.), quam Memnonem vel potius Excerpto-
 rem ejus, in hac re sequendum esse arbitror.

2) Simili exemplo Nicomedis II. Philopatoris frater Socra-
 tes, ex quo regnum suscepit, Nicomedes appellatus,
 nomen assumpsit, Memnone teste c. 32., τοῦ Χρησῶ. De
 quo nomine cf. Dodwell., De Scymno Chio, apud
 Hudson. Geogr. Gr. Minor. T. II. p. 93.

Scilicet Antigonus rex, a Dionysio tyranno adversus Cyprios quondam adjutus cumque eo affinitate conjunctus, ac filiorum una fortasse cum aliis tutor constitutus, Heracleotarum civitati eo validiori in tumultuosis illis temporibus praesidio esse potuit, cum totius tum Asiae dominus esset. Verum enimvero quo tempore quattuor simul reges: Cassander, Lysimachus, Ptolemacus, Seleucus, suo quisque metu commune contra Antigonum bellum susceperunt (Ol. 119, 3. = 302. a. Chr., Diod. XX., 107. — 110.), de iisque Lysimachus ex Europa in Asiam transgressus totam ferme oram maritimam Hellesponto et mari Aegaeo adjacentem, atque magnam etiam Phrygiae et Lydiae partem occupavit, aliae vero longinquo-res provinciae et urbes ab Antigono defecerunt: tum Heracleotae quoque, cum in tantas adducti angustias, in propinquo hoste potius quam in socio longissime remoto, — versabatur enim Antigonus in Syria — fiduciam collocare mallet, in Lysimachi, futuri Amastridis mariti, partes transisse putandi sunt, qui haud ita multo post, quinam ex hac societate sibi fructus natus esset, occasione data intellexit. Nam cum ab Antigono ex castris circa Dorylaeum positus rejectus, commeatuque interclusus esset: copiis septentrionem versus reductis et in campo Salone in hiberna distributis, largissimum ex Heraclea commeatum sibi procreavit, »propter affinitatem, ut Diodorus c. 110. dicit, cum Heracleotis contractam.« Hinc factum, ut Antigonus in Phrygiam se reciperet et cum Seleucum quoque ex ulterioribus provinciis cum exercitu valido descendere cognovisset, Demetrium filium, copias quam maturime e Graecia transportare jussit. Qui post pacem cum Cassandro factam, exercitu in Asiam transjecto, Lysimachum ab ora illa maritima interclusit. Hinc Cassander rupto foedere fratrem Plistarchum cum exercitu in Asiam Lysimacho auxiliatum misit. Plistarchus autem cum 1200 ped. et 500 eq. ad Ponti fauces delatus cum insessam ab hoste oram invenisset, desperato transitu invasit Odessum oppidum, inter Apolloniam et Heracleotarum coloniam Callatim, ex adverso Heracleae situm, quae copiarum Lysimachi par-

tem habebat. Ibi quum navigiis ad transportandum militem idoneis destitueretur, trifariam exercitum paratur. Prima quidem classis Heracleam incolumis pervenit; altera a praesidiariis ad Ponti ingressum navibus subacta; tertia, qua ipse Plistarchus trans mittebat, tanta oppressa tempestate est, ut pars maxima navium et copiarum interiret. Nam hexeris praetoria submergitur et de navigantibus in ea, qui ad 500 erant, 33 dumtaxat evadunt; inter hos etiam Plistarchus fuit, qui fragmento navis suffultus ad terram semimortuus ejectatur; hinc Heracleam deportatus in hiberna se contulit, cum majorem exercitus partem amisisset. Hic tum rerum status erat, sub fine anni Ol. 119, 3. = 302. a. Chr. (Diod. XX, 113.)

Jam audiamus Memnonis narrationem modo interruptam: »Lysimachus, inquit, Amastrim sibi adscivit, et initio mirifice amavit ¹⁾; sed gliscentibus negotiis illam Heracleae relinquit, ipseque rebus urgentibus occupatur ²⁾. Nec longo intervallo post, cum a laborum distractione quietem ageret ³⁾, Sardes illam arcessitam pari amore complectitur. Post-

¹⁾ Quod Palmerius statuit, Polyaei loco (VI, 12.) emendato, (ut 'Αλέξανδρος, Λυσισμάχου καὶ 'Αμήστριος υἱός legeret pro καὶ Μαυρίδης vel Μηστρίου υἱός) Lysimachum ex Amastride filium Alexandrum excepisse, id pro certo ponere veritus sum.

²⁾ Proximo anno, Ol. 119, 4. = 301. a. Chr. — (nam quod sub fine anni 392. Ptolemaeo in Syria nunciatum est, commisso inter reges proelio Lysimachum et Seleucum victos Heracleam se recepisse victoremque Antigonum cum exercitu in Syriam contendere, falsus erat rumor, Diod. XV, 114.) — Lysimachus conjunctis suis cum sociorum copiis hostem adortus ad Ipsum, Phrygiae oppidum, devicit; quo proelio Antigonus multis sauciatus jaculis peremptus est. V. Diodor. Libri XXI. Eclogae I., Plut. Demetr. 28 — 30., alios quos laudat Mannertus l. c. III. c. 3. —

³⁾ Post victoriam ad Ipsum, facta Antigoni regni partitione, Lysimacho, Cappadociam propriam omnesque inter Taurum et Antitaurum provincias, h. e. universam Asiam minorem adeptus (v. Mannert. l. c. p. 264. sq.), per tempus aliquod otioso esse licuit.

quam vero ad Ptolemaei Philadelphi sororem ¹⁾, cui nomen Arsinoe, amorem transtulisset, causam Amastri praebuit disjunctionis, utque deserto illo Heracleam occuparet. Quo reversa Amastrim urbem erexit et colonis frequentavit ²⁾.« —

»Clearchus autem, ad virilem tum aetatem progressus et civitati Heracleae praefuit et in bellis non paucis, quae vel ope sua propulsaret ab aliis, vel illata sibi defenderet, specimen praeclarum edidit. Inter quae etiam, dum Lysimacho contra Getas belligeranti operam navat, captus est cum rege, eoque ex captivitate soluto, ipse quoque prudentia Lysimachi postea est dimissus ³⁾. — Clearchus igitur et frater Oxathres, in regno paterno successores, lenitate et beneficentia erga subditos patre longe inferiores evaserunt. Quid? quod ad nefarium et execrabile facinus sunt delapsi. Matrem enim, quae nihil in eos grande peccaverat, cum navi se commisisset, insigni commento et flagitio mari suffucandam curarunt.«

(Memn. 7.) »Quam ob causam Lysimachus, Macedoniae regno tum potitus, etsi propter Arsinoes

*) Quod h. l. legitur τὴν θυγατέρα Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου pro ἀδελφῆν, huius peccati auctorem non Memnonem (qui quippe c. 9. et 15. haud obscure Ptolemaeum Cerannum Lagidae filium, ut fratrem Arsinoes commemorat), sed Photium vel amanuensem esse, jam Wesselingium in *Observ. Var. Lib. I. c. 26. p. 106. sq.* observasse video.

¹⁾ De hoc Paphlogoniae pago, in quem quattuor praeae antiquitatis oppida, Tius, Cyturus, Sesamus, Cromna, ab Amastri regina juncta sunt, ubi ad fines Heracleotidis venerimus describendos, plura disputabimus.

²⁾ Historiam belli a Lysimacho contra Getas gesti, quod inter priorem et alteram Demetrii in Boeotiam expeditionem h. e. inter Ol. 121, 3. et Ol. 122, 2. ponendum est (v. Clinton. *Fast. Hell. p. 239.* ed. Krüger p. 154.) alii aliter narrant: Strabo VII, 462. Pausan. I, c. 9. §. 7. Plut. *Demetr. c. 29.* Diodor. in *Excerpt. De Virtut. et Vitiis. L. XXI.* ed. Wessel. p. 559. Polyæn. L. VII, 25. Justin XVI, 1. — Memnon rem ita narrat, ut quae ceteri, excepto Polyæno, qui Lysimachum cum centum millibus interfectum tradit, memoriae prodiderunt, facile inter sese conjungi possint. V. Mannert. I. c. p. 304. sq.

consuetudinem Amastrim a se abalienarat, cum tamen pristini amoris quasi igniculum ferret, et immane ac detestabile hoc scelus non tolerandum duceret: animi quidem apud se decreta quam arctissime continuit, antiquae interim necessitudinis studium Clearcho ostentans: sed tamen arte multa et strategmatis ad fallendum compositis, — occultare enim quae vellet, mortalium ingeniosissimus perhibetur, — Heracleam, tamquam publico recipientium commodo id fiat, ingreditur: et dum intimam patris affectionem larva quadam Clearcho eique addictis prae se ferret, parricidas illos e medio tollit, primo Clearchum, deinde Oxathrem; et sic justas maternae caedis poenas exigit ¹⁾. Hinc ubi, redacta in clientelam suam civitate, opes tyrannorum dominatu collectas in praedam suam vertisset, et quod diu exspectaverant, liberam civibus rempublicam restituisset, in suum se regnum recepit, (ἀδειαν δὲ τὸς δημοκρατεῖσθαι τοὺς πολίτας). —

Quodetsi jam imperium tandem domesticorum Heracleae tyrannorum finem cepit, nihilo minus tamen etiam proximos octo annos huic periodo, qua historia tyrannidis contineatur, adnectere debemus. Namque Lysimachus democratiam quidem restituerat, sed mox miserum in modum Heracleotae a spe magna destituti, non minori a regio praefecto, quam a pristinis suis tyrannis, crudelitate oppressi tenebantur. Sic tamquam pilam rapuerunt inter se rempublicam, nescio dicam reges a tyrannis an tyranni a regibus.

(Memn. 8.) »Reversus igitur Lysimachus ad sua, Amastrim laudibus extollere ejusque mores et imperium demirari, utpote quod ad id magnitudinis, potentiae, majestatis elatum corroborasset; uniceque praedicare Heracleam, sed ut in partem laudis venirent etiam Tius et Amastris, quam nomine suo ce-

¹⁾ Dionysii filios per annos 17 regnasse Diodorus tradit XX, 77. — Eandem quam Memnon respicit rem Justinus XVI, 3. init., „Victor (sc. Demetrii) Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupaverat. Inde Thraciae ac deinceps Heracleae bellum intulerat.“

lebrem illa condidisset. Haec crebro jactans Arsinoen exstimulavit, ut urbium tantopere celebratarum dominium affectaret, quaeque affectabat, sibi donari peteret. At is gravitatem muneris praetendens, initio preces non admittebat, sed tamen progressu temporis exoratus concessit. Ingeniosa enim ad circumveniens fuit Arsinoe et jam senectus ipsa mansuetum dederat Lysimachum. Potita igitur Heraclaeae dominatu Arsinoe Heraclidem eo Cymaeum mittit, virum illius observantem et studiosum, sed alioqui praefractum et in consiliis dandis et exsequendis industrium et acrem. Hic ubi Heracleam venit, cum alias res nimis rigide administrat, tum multos civium criminibus onerat nec pauciores supplicio afficit; et sic felicitatem vixdum exortam cives denuo amittebant.«

(Memn. 9.) »Ceterum Lysimachus, propterea quod exstigatione Arsinoes natu maximum et optimum filiorum Agathoclem, e priore sibi conjugem natum¹⁾, — — ab illius fratre Ptolemaeo Ceraunonecari passus esset, in odio erat subditorum. Et Seleucus his cognitis et quam facile sit, regno hominem excutere, civitatibus ab eo deficientibus, proelium cum eo conserit: in quo Lysimachus dum fortiter dimicat, pilo trajectus occumbit. Trajecit autem vir Heracleotes, nomine Malcon, Seleuco militans; subversoque eo, regnum ad Seleuci dicionem ut pars accessit,« Ol. 224, 4. = 281. a. Chr. Hic XII. Memnonis liber desinit.

¹⁾ De Agathoclis interitu praeter Memnonem conferatur Strabo XIII. p. 623. Paus. 1. c. 10. Appian. Syr. c. 64. Justin. XVII, 1. Lysimachum quattuor habuisse uxores verbo monuisse sat est: primam Meecridam Odrysiadem, ex qua Agathoclem, Arsinoen et Alexandrum (Polyaen. VI, 12; nisi forte hic ex Amastride est, v. supra p. 85, n. 1.); alteram Nicaeam Antipatri filiam, ex qua Arsinoen; tertiam Amastrim, ex qua fortasse Alexandrum; quartam Arsinoen, ex qua Ptolemaeum, Philippum, Lysimachum. — Vehementer errant qui Agathoclem Amastridis filium faciant, Lysimacho vix ante Ol. 119, 3. nuptae.

(Memn. 10.) »Heracleotae audito Lysimachi interitu et quod a populari suo nex illi illata esset, animos confirmant et pro libertatis recuperandae desiderio fortes se viros declarant, quam per annos 84, primum quidem tyranni domestici, (ab Ol. 104, 1. usque ad Ol. 123, 1. = 76 annos) et post eos Lysimachus (Ol. 123, 1. — 124, 4. = 8. annos) ereptam tenerant. Quare Heraclidem conveniunt et, ut non tantum salvus et incolumis, sed etiam splendido munere viatico instructus excedat, pristinam modo libertatem obtineant, suadent. At cum tantum abesset, ut persuaderent, ut etiam ira tyrannum inflammari et nonnullos de suis ad supplicia rapi ab eo viderent: pacto cum praesidii praefectis (τοῖς φρουραρχοῖς) inuito, ut aequo in republica jure uterentur, et quibus fraudati essent stipendia reciperent, Heraclidem in vincula coniectum ad tempus custodiunt. Metu dehinc soluti moenia arcis fundamenta usque diruunt et missa ad Seleucum legatione Phocritum civitatis principem et curatorem faciunt (τῆς πόλεως ἐπιμελητήν).»

E r r a t a.

Pag. IV.	lin. 35:	„vel apud veteres fragmenta, vel — etc.
—	8. — 11:	„antiquiorem.”
—	12. — 29:	„cogitemus.”
—	33. — 14:	„Apollinis.”
—	40. — 10:	„depacisceretur.”
—	44. — 17:	„vindicarent.”
—	— — 23:	„prae fractis.”
—	— — 25:	„gavisos.”
—	48. — 1:	„locis supra lectis.”

Lexiora mitto.
